UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhvsii, 1673

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

Visual Library

Th. 2485.

Zu Rudolphi vgl.
Westfalen Bd 27.

Das Wappen auf dem
Or.-Kupfer ist das des
Priors Renesse von Corvey,
dem das Buch gewidmet
ist.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Conventy Osnab. FF. Praedicat.



Rudolphi dd. Vera effigies Domus Lauretanæ. Löffler Iun. fe.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VIRGO LAVRETANA

COMMENTARIIS ILLVSTRATA

Sive

COMPENDIOSA EXPLICATIO LITANIARVM LAVRETANARVM

OMNIBUS

MAGNÆ MATRIS CLIENTIBVS, SODALIBVS PARTHENICIS, ET SODALITATVM MARIANARVM CONCIONATORIBUS PERQUAM UTILIS.

AUTHORE

LAURENTIO à DRIPT ORD. S. Benedicti Profess. Gladbacensi; pridem in suo, & Imperiali Monasterio Corbejensi, SS. Theologiæ, & Philos. Lectore: nunc Reverendissimi & Cels. Principis, & Episcopi Paderbornensis, ac Coadjutoris Monasteriensis &c. in Ecclesiasticis Consiliario, & Theologo Domestico:

Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.
Ecclesiast. 24.

Collegii Soc. Jesu Paderbornæ 1674.

NEUHUSII:
Imprimebat JOANNES TODT Typograph.
Anno M. DC. LXXIII.





Rudolphi del.



AVGVSTISSIMAE, POTENTISSIMAE,
SPECIOSISSIMAE,
COELI, TERRAEQVE REGINÆ,
ET IMPERATRICI

MARIÆ,

AB ÆTERNO ELECTÆ, ET OMNIBUS
PURIS CREATURIS PRÆELECTÆ,
IN
FILIAM ET COMPARENTALEM

DEI PATRIS

SANCTISSIMAM,
MATREM ET GENITRICEM

FILII DEI

DIGNISSIMAM,
SPONSAM

SPIRITVS SANCTI

AMABILISSIMAM,

SS^mæ TRIADOS

TEMPLUM, AULAMQUE
DIVINISSIMAM,
TOTIUS CURIÆ TRIUMPHANTIS, MILITANTIS, PURGANTIS, LÆTITIAM.

VIRGINUM OMNIUM
PRIMICERIÆ.

Sine semine gravidæ :
Sine dolore puerperæ.
AURORÆ,
Solem iustitiæ præeunti :
SOLI,
Solem iustitiæ parienti :
LUNÆ,
In tenebris et umbra mortis peccatores illuminanti, trahenti, solanti.
MEDIATRICI
Deum inter & homines pijssimæ.
Quæ quasi nubes se soli iustitiæ opponit, ut eius ardorem temperet.
PROFLIGATRICI
Hæresum omnium invictissimæ.
DEBELLATRICI
Aërearum potestatum & principum tenebrarum victoriosissimæ.
Vastissimi ac procellosissimi maris mundani Cynosuræ.

BENE-

BENEFICIORUM,
ET
COELESTIUM GRATIARUM
Ad Nos
INCESSANTER DIMANANTIVM
CANALI AFFLVENTISSIMÆ,
Suorum Clientum et Amatorum
MATRI ET SPONSÆ
Dignantissimæ,

TE Tibi Cæli Imperatrix & Regina, in sacello Nazareno nunc Lauretano, olim à cæleſti Paranympho Gabriele Archangelo, divino jussu salutata, à Spiritu sancto virtute altissimi obumbrante fœcundata, filio Dei sine gravedine gravidata de post in spelæo Bethleemitico è Virgine Dei-hominis & per hoc totius generis humani Matre, aureis Lauretanis:

tanis encomijs, ſed calamo indigni peccatoris elucidatam, profundiſſimâ infrà omnes creaturas ſubmiſſione offero : nec minus throno gratiæ, ſinui miſericordię, peccatorum omnium, & deſperantium aſylo Tibi, me ſiſto: dum diffidendum confidens, dum fugiendum cum tremore accedens, dum deſperandū ſperans: Etiamſi enim occideris me ſperabo in te, hoc unum ex mellifluo tuo Bernardo ſciens, quod Tu peccatorem quantùmlibet fœtidum non horres, non deſpicis, ſi ad te ſuſpiraverit, tuumq́; interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum à deſperationis barathro piâ manu retrahis, ſpei medicamen aſpiras, foves, nec deſeris, quouſq; horrendo judici miſerum reconcilies:

cilies: sed nec esse auditum à sæculo, quemquam in te speravisse, ad te confugisse, te ex corde invocasse: & confusum, repulsum, vel non exauditum esse: & hoc unicum à te de me spero, intensissimoq; affectu, ac totâ cordis contentione exopto, ut esse possim unigeniti tui & tuus in omni tempore & æternitate:

Omniumq; Clientum et servorum tuorum

Cliens & servus minimus

Laurentius à Dript.

REVERENDISSIMO PRAENOBILI DOMINO,

D. FRANCISCO BARONI RENESSE de BAER,

Imperialis & exempti Monasterij Corbejensis Priori dignissimo.

Reverendissimi & Celsissimi Principis Monasterienſis, ut Administratoris Corbejensis Consiliario intimo, Domino Patrono suo honorando.

Reverendissime Pater, Prænobilis Domine.

POst Beatissimam Matrem Virginem, cui primario scriptus & inscriptus, tibi ejusdem non infimo clienti, & amatori cujus unius favore lucem videt & in publicum prodit, se sistit hic tractatulus: ut in fontem, unde fluxerunt per gratitudinem flumina refluant, repetantque suam originem,

nem, ut tantò amplius se diffundant: sisque Tu cujus gratia typis datur, post Deum, ejusque Virginem Matrem, illius Alpha, & Omega, principium & finis: nec solum, sed & incomparabilis thesaurus, quô qui usi participes facti sunt amicitiæ Dei, cæli terræque Imperatrix, & Regina, in, & cum ipso tibi se exhibet, ut quas hactenus experta est tui erga se amoris flammas, ipsa nigra, sed formosa, in albo, & nigro, hic coram te depicta, specie & pulchritudine sua inter filias hominum speciosissima, foveat, alat, augmentet, & in subditorum tibi corda accendat. Ut proinde à tam pia Matre, à tam formosa, sed castissima Virgine redameris, ama, & amplius ama: modum vis amoris? is teste Ber-

nardo est diligere sine modo. Respice quàm diligit, & amplius diligere concupiscit anima tua, facessat propter eam, cujus pulchritudo omnem mundi & rerum creatarum pulchritudinem excedit, cujus intuitus à peccato retrahit, libidinisque flammas extinguit, omne mundanum amabile. Semper,

Respice stellam, voca MARIAM.

Si insurgunt venti tentationum:
Si scopuli tribulationum:
Si jactaris superbiæ ambitionis,
detractionis undis:
Si iracundiâ, aut carnis illecebrâ
naviculam concusserit mentis:
Si barathro incipias absorberi
tristitiæ, desperationis abysso.

Respice Stellam, Voca MARIAM.

In periculis, in angustijs, in rebus dubijs, MARIAM cogita, MARIAM invoca.

Non

Non recedat ab ore : non recedat à corde. Et ut impetres orationis ejus ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum.

Ipſam
- Sequens non devias,
- Rogans non deſperas,
- Cogitans non erras.

Ipſa
- Tenente non corruis,
- Protegente non metuis,
- Duce non fatigaris,
- Propitiâ pervenis.

Ut cujus amorem concupiſcis, ſe tibi Matrem miſericordiæ monſtret, & quam hic coram per ſpeciem & in ænygmate intueris, revelatâ facie in omnem æternitatem contemplari merearis : Quod tibi & ſibi ex animo vovet.

Reverendiſſ. et Prænob. Amplitudinis tuæ, et tuorum

Devotiſſimus Confrater & ſervus

Laurentius à Dript.

APPROBATIONES
Eximiorum DD. Doctorum Coloniensium.

NOs infrascripti hoc opusculum Marianarum laudum abunde explicativum studiosè & avidè perlegimus, reperimusq; omnia in eodem contenta nedum Orthodoxæ fidei conformia & bonorum morum augmento proficua: verúm & singulariter cultui erga Deiparam promovendo conducentia, ut merito de illo ejusdemq; auctore in quovis scibili excercitatissimo dicamus quod pronuntiavit Photius de suo Nysseno; stylus illi illustris & jucunditatem auribus instillans : venustas enim orationis & splendor jucunditate mixtus in hoc opere se decenter ostendit. Sic censemus, ac sentimus Coloniæ in nostro S. Crucis Conventu, Ordinis Prædicatorum. Anno M.DC.LXXIII. 31. Maij.

Frater Henricus Hilden, Ord. Prædic. SS. Theologiæ Magister, ejusdemq; ibidem publicus Professor, & Generalis studij in Conventu Regens, mp.

Frater Hyacinthus Cunibert, Ordinis Prædicat. SS. Theologiæ Doctor & Professor.

Censura

CENSURA ORDINARIJ.

VIsâ hac M. M. N. N. sacro-sanctæ Theologiæ Doctorum ac Professorum attestatione & approbatione placet, ut opusculum hoc, quod devotioni erga Virginem Matrem magis ac magis excitandæ, laudibusque ejusdem promovendis plurima perquam idonea continet è prælo lucem aspiciat publicam. Coloniæ Agrippinæ. 2. Junij, 1673.

Ioannes Francken Sierstorpff, Librorum Censor Ordinarius, m.p.

Con-

Consensus Reverendissimi D. Prælati Gladbacensis

EGo infra nominatus Abbas, facultatem concedo dilecto nobis in Christo filio R. P. Laurentio à Dript, Monasterij nostri Professo. SS. Theolog. & Phil. Lectori quondam, nunc Rever. & Celsiss. Episcopi ac Principis Paderb. ac Coadjutoris Monast. &c. in Ecclesiasticis Consiliario & Theologo Domestico, in lucem edendi compositum à se librum, cui titulus est *Virgo Lauretana*, *Commentariis illustrata*: dummodo ab ordinario libr. Censore fuerit approbatus: In cujus rei fidem hasce propriæ manus subscriptione & Sigillo Abbatiali munitas dabam. Gladbaci. Anno 1673. 27. Januarij.

Bruno Charmans Abbas, S. Viti Martyr. in Gladbach, Ord. S. Bened. Congregat. Bursfeld.

(L. S.)

Magnæ Matris Virginis Clienti & Amatori Dei, & Deiparæ amoris incrementum.

PRæsumptionis merito arguar, quod post tot magnificos de Virginis Matris encomijs editos tractatus, & ego ad ejus gloriam pro modulo meo celebrandam, calamum movere ausus fuerim: hoc attento, quod non sit speciosa laus in ore peccatoris, & æquale sit propter turpia, quàm à turpibus laudari: adhortante insuper *Eccles. c. 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris*: causam addens, *Sap. Prov. 25. scrutator enim majestatis opprimetur á gloria.* Fateor dum excellentissimam Virginis Matris dignitatem, profundissimamque meam vilitatem considero, merito dictam comminationem Sapientis metuo: cum tamen ejusdem summam dignationem, qua quidquid fit pro viribus gratum habet, & memoriæ illius suavitatem attendo, scintilla (si tamen) amoris quam adhuc in me sentio, facit ut audeam: *Non est enim* ut ingenuè fatear *quod me magis delectat, quàm de gloria Virginis habere sermonem, nam de ejus gloria licet nec dignum quid*

quid sterilis cogitatio concipere, aut inerudita possit loquutio parturire: nec tamen silere devotio patitur, spiritus enim ejus super mel dulcis, & hæreditas ejus super mel & favum, memoria ejus in benedictione & in generatione sæculorū. Glorioſa dicta ſunt de ea, ſed adhuc locus eſt laudationi ejus, adhuc in laudibus ejus omnis lingua balbutit. Ut ergò lector MARIANE tuæ, ut meæ devotioni ſervirem & ſatisfacerem, paucula hæc collegi: *Quamvis enim ſciam quod* MARIAM, *nemo digne prædicet, tamen vanus & inſanus, quiſquis illam reticet; cum nec nominari poſſit quin accendat, nec cogitari quin recreet affectus diligentium ſe, nec unquam ſine dulcedine divinitus inſita piæ memoriæ portas ingrediatur.*

De Litaniarum (*Lætaniæ ſcribit S. Gregor. lib. 2. Epiſt. cap. 1. & lib. 7. cap. 76. lib. 9. cap. 45. & lib. 10. cap. 36. Gregor. Turon. lib. 10. cap. 1. Iacob de Vitriaco in ord. Roman. & Ius Canon. in Clem. de Reliquijs & venerat. Sanctorum*) antiquitate & dignitate multum præfari ſuperfluum duxi, cum minus quam certum ſit eorum uſum cum exordio naſcentis Eccleſiæ ſurrexiſſe, ut fusè probat *Iuſtinus Miechonienſis* in ſuo in has Litanias commentario.

LITANIARUM LAURETANARUM ET ENCOMIORUM MAGNÆ ET ADMIRABILIS DEIPARENTIS MARIAE,

CAPUT PRIMUM.

Encomium Virg. Matris Primum.

SANCTA MARIA.

PRæclariſſimos olim ac Sanctiſſimos utriuſq; ſexûs Sanctos, ac Sanctas ſingulari Dei providentiâ è ſterilibus parentibus natos, & antequam natos ſuis nominibus à Deo inſignitos & Divina & Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria: ita filius promiſſionis *Iſaac* è ſterili matre *Sara* nomine natus, antequam natus eſt: dicente Domino ad *Abraham* (*Geneſ. 17. verſ. 19.*) *Sara uxor*

 tua

tua pariet tibi filium vocabisque nomen ejus Isaac, & confirmabo pactum meum cum eo. Sic *Samson, Samuel,* & denique Salvator ac Redemptor noster antequam natus, ab Angelo Virgini Matri prænunciatus, ac Sanctissimo illo nomine IESUS indicatus est: ut scilicet rebus nomina convenirent, subjungente mox Angelo causam tam suavissimi nominis: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Si autem Ecclesiasticas inspiciamus historias, Magnus ille *Dominicus* tanti Ordinis institutor, & propagator matri sterili precibus impetratus, & prænunciatus est à quodam *S. Dominico* Ordinis *S. Benedicti* incluso: Sic & Sancti *Franciscus de Paula, Nicolaus de Tolentino,* innumeriq; alij pari modo impetrati & parentibus prænunciati sunt, ut nimirum quales hi aliquando futuri essent, quantaque sanctitate mundum illustraturi, & prodigiosa eorum conceptio, & nativitas, & prænunciata nominum impositio significarent. Non defuit hæc quoque gratia Augustissimæ cælorum Reginæ Dominæ nostræ, cujus hic laudes celebrandas

brandas suscepi. Inexplicabilem enim tantæ Matris sanctitatem,&excellentiam, & miraculosa ex parentibus sterilibus prognatio,& suavissimi nominis impositio antecesserunt : ita clarissimis verbis testatur *D. Hieronymus* in Epist. ad Chromatium de Nativitate B. Virg. Tom. 9. Nimirum Angelum Domini immenso lumine fulgidum *B. Ioachimo* astitisse precesq; ejus pro partu & prole fusas exauditas nascendamque ex se & Sanctissima *Anna* filiam *MARIAM* nominandam, ab infantia sua Domino Deo consecrandam, super omnes fœminas benedicendam, quæ quemadmodum è sterilibus parentibus nasceretur, ita incomparabiliter virgo permanens generaret Altissimi Filium denunciasse. Et profecto ita decebat: Tanti enim mandati, tantæ nativitatis mysterium, tam suave ac dulcissimum *Nomen*, non hominis sed angeli primum erat ore promendum; Ille solus huic Sanctissimæ Virgini per Angelum nomen indere debebat, qui quantæ futuræ esset excellentiæ & dignitatis cognoscebat. Hinc *D. Ambrosius* in serm. de Nativ. B. M. ait *Beata MARIA non fortuito*

aut ſolum placito ſed divinâ diſpoſitione & diſpenſatione nomen accepit: ſed & Seraphicus *Bonaventura* hanc ob cauſam Bm̃æ huic virgini gratulabundus acclamat in pſalterio Mariano Pſalmo 125. *Benedictum ſit* inquit *glorioſum nomen tuum, quod os Domini mirabiliter nominavit.* Verè mirabiliter, ſivè ſpectes ipſum nomen Dulciſſimum quod enunciatur, ſivè modum quo enunciatur: ut non incongrue in eum quadrent verba Iſaiæ hoc ipſum nomen Admirabundi prænunciantis *vocabitur* inquit ille *tibi nomen novum quod os Domini nominabit* (cap. 62. verſ. 3.) Sic inquam congruebat, nam primo quidem, ſi *Bernardo* Doctori Mellifluo credimus, totam ſe in hanc virginem infudit gratiæ plenitudo, quidquid enim in aliis ſanctis omnibusq; creaturis diviſim, id in eâ collectim reperire eſt: Quod enim vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum fas certe non eſt ſuſpicari tantæ virgini fuiſſe negatum: Secundo quia cum nomen Matris Dei deberet eſſe potentiſſimum, ſanctiſſimum, ac gratiſſimum, & ab omnibus tam angelis, hominibus quam dæmonibus Adorandum debitaque

taque Reverentiâ & honore colendum ac formidandum: decebat ut ad ipsum imponendum concurrerent Potentia Patris, Sapientia Filij, & Amor Spiritus Sancti: ita factum esse liquidis asserit verbis pijssimus *Idiota* lib. de contempl. virg. cap. 5. *Dedit tota Trinitas tibi MARIA nomen quod post filij tui nomen est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum:* pari modo eam salutans pientissimus Abbas Lætiensis *Blosius*. *Ave* inquit *serenissima virgo Maria, ad cujus nomen flectitur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum, quod laudant & benedicunt exercitus supernorum Civium.*

§. I.

IAm verò, si ad virtutem & efficaciam hujus dulcissimi nominis intuitum mentis dirigamus, mirabiles ejus effectus reperiemus.

Primo quidem ipsum mirum in modum divinam iram, ac indignationem placat, ac mitigat: Olim in lege veteri triplicis generis sacrificia à Deo filijs Israël demandata erant, scil. Holocaustum, Hostia pacifica, & Sacrificium: Holocaustum erat

in quo tota res oblata cremabatur & in fumum resoluta sursum ascendebat, in protestationem supremi Dominij Dei in omnes creaturas : Hostia verò pacifica Deo offerebatur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, novisq; impetrandis. Denique sacrificium pro peccatis offerebatur ad Dei iram placandam, peccatorumque veniam impetrandam: Huic Sacrificio nomen *MARIÆ* comparat *S. Petrus Chrysologus* : *Sacrificium Dei est nomen MARIÆ* si causam quæras ab eo, in promptu est responsio, quia *offertur Deo pro peccatis, eorumq; veniam impetrandam, ac ejus iræ & indignationem placandam.* Majora huic Sanctissimo Nomini attribuere audet Cantuariensis Antistes *Anselmus* dicere audens : *velociorem nonnumquam esse salutem invocato nomine MARIÆ quam IESVS.* En verba ejus propriâ pietate & dulcedine plena : Ait ergò citatus Doctor lib. de Excellentia virg. c. 6. *Velocior est nonnumquam salus memorato nomine MARIÆ, quam IESVS unici filij sui : Et id quidem non ideò fit quod ipsa major, potentior eo sit, nec enim ipse magnus, & potēs est per eam, sed illa per ipsum.*

Quare

Quare ergò propior salus in recordatione nominis ejus, quàm filij sui sæpe percipitur? Dicam quod sentio. Filius Dei Dominus est, & judex omnium discernens merita singulorum, dum igitur ipse à quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profecto id juste facit. Invocato autem nomine matris, & si merita invocantis non merentur ut exaudiatur, merita tamen matris intercedunt ut exaudiatur. Hucusque *Anselmus.*

Secundus effectus hujus dulcissimi nominis est: quod obduratissima desperatissimorum hominum corda, ad pœnitentiam & pietatem emolliat. Naturali experientiâ sacrarumque litterarum testimonijs compertum est, mirum in modum valere ad efferatissimos animos emolliendos, passionesque sedandas instrumentorum musicorum citharę, organi, similiumque melodiam: Sic referentibus libris Regum cum spiritus Domini malus invaderet *Saul, Davide* citharam pulsante, melius habebat *Saul*, recedebatque ab eo spiritus malus: pari modo dulcissimum nomen virginis Matris super omnium musicorum instrumentorum melodiam dulce, effera-

tos per vitia,& passiones peccatorum animos emollit, ut emolliti convertantur ad Deum, conversi pœnitentiam agant de peccatis suis,ac optatam consequantur salutem : ut non immerito Bm̃um hoc Nomen inclamarit Mellifluus *Bernardus* serm. Panegyr. *O Magna, O Pia, O multum amabilis MARIA, tu nec nominari quidem potes quin accendas : nec cogitari quin recrees affectus diligentium te, tu numquam sine dulcedine divinitus tibi insitâ piæ memoriæ portas ingrederis.* Et pijssimus *Idiota* l. de contempt. Virg. cap. 5. *Tanta* ait ad eam *est virtus Sanctissimi Nominis tui O semper benedicta MARIA, quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiam cordis humani.* Et alius quidem devotus Author inquiens :

O Vnicum Decus Virgineum,
Thronum sedens super æthereum,
Nomen tuum unguentum melleum,
Liquefacit affectum ferreum.

Tertius hujus suavissimi Nominis effectus est : quod omnium adversarum potestatum insultus efficacissimè repellat, dæmonum impetus frangat, eosque ab obsessis

sessis exturbet, *non enim* ait Doctor Mellifluus citatus *à Richardo de S. Laurentio, ita metuunt hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreæ potestates MARIÆ vocabulum, patrocinium, & exemplum*: Ipsa est enim, quæ attestante cœlesti sponso progreditur, ut castrorum acies terribilis bene ordinata: *Terribilis dæmonibus*, (ut ait *Petrus Damianus* serm. de Assumpt. B. Virg.) *ordinata virtutibus, singularis timor malignorum spirituum, specialis amor civium beatorum.* Et ut ait *Blosius ad ejus nomen dæmones contremiscunt & potestates tenebrarum diffugiunt.*

Effectibus jam nominatis quartum addit *Bonaventura*: quod nimirum confortet, consoletur, omnemque ab homine timorem in mortis agone repellat, *gloriosum* (ait salutans eam) *& admirabile est nomen tuum, qui illud in corde retinent, non expavescent in puncto mortis.* Vt verè mirabile sit nomen ejus in universa terrâ & magnificatum nimis. Sed jam ad tam dulcis & mellei Nominis Etymologicam significationem deveniendum est, & aliquid de ea differendum.

§. 2.

SI grandium virorum nomina *Adæ*, *Evæ*, *Abraham*, *Isaac*, *Ioannis*, *Petri & Pauli* mysterio non vacent, magnaque Dei sapientia illis indita sunt : quid quæso cogitandum de sanctissimæ Deiparæ , & Matris Messiæ nomine? Hoc nomen, quod etiam sorori Moysi in veteri testamento impositum fuit , quinque apud latinos litteras, quinque significata, quibus ejus gratiæ, dignitates, & prærogativæ declarantur: quinque gratias singulares, habet deniq; quinque figuras mulierum illustrium , quibus apte repræsentata est. Quod ad significata hujus nominis attinet ipsum testibus *Bernardo*, *Beda*, *Eucherio*, & *Hieronymo* , significat Magistram maris, seu Dominam maris , stellam maris , mare myrrhæ, seu amaritudinis, illuminatam, & exaltatam : *S. Hieronymus* tom. 3. in medio *MARIA & Illuminatrix vel Illuminans Smyrna maris vel stella maris*. Et paulò post *Melius autem est* ait *ut dicamus eam sonare stellam maris, sivè amarum mare : sciendúmque quod MARIA sermone Syro Domina nuncupatur , sicut & Maran Dominus noster. Alij exaltatam,*

Doctri-

Doctricem populi, ac Magistram interpretantur, ex diversis radicibus: Sic & *Epiphanius* lib. de laudibus Virginis: *MARIAM* ait *interpretari solemus Dominam, atque etiam spem, peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi.* Et infra: *Rursus præclaræ puellæ beatum nomen interpretatur illustrata, utpote quæ illustrata sit à Filio Dei, & cunctos usq; ad terminos terræ credentes trinitate illustraverit.* Sed jam cum *Bernardo* loquamur pauca & super hoc nomine, quod interpretatum Maris stella dicitur, & virgini Matri convenientur aptatur.

Mare navigantes stellam quandam in parte septentrionali sitam observare, & ad quam se dirigere solent, ex cujus aspectu sciant in quâ parte maris constituti sint quáve navem vertere debeant. Ex cujus etiam obscuratione & obnubilatione, multas calamitates, & difficultates incurrere assueverunt: quod vel in pyratas maris incidant, vel navis ad rupes scyllam & Charibdim allidat, vel certe in arenosa loca devenientes, miserè aliquando pereant, & naufragium patiantur, & stellam hanc Cynosuram appellant: Estque sydus

septem

septem constans stellis, ab aliis ursa minor appellata, ab aliis verò teste *Higino* phænice dicta, quod à phænicibus inter navigandum soleat observari. Similem multo tamen excellentiorem & digniorem Deus omnipotens stellam, & Cynosuram navigantibus magnum hoc, & spatiosum mundi mare, in quo innumeri pyratæ animarum, innumeræ rupes, scyllę, ac Charibdes constituit, ut navigantes eam observantes, quævis evadere pericula, è cujus aspectu noscerent quò navigium, ne in animarum pericula incurrant, vertere debeant: Nec est alia quam glorioſissima virgo Deipara, quàm non immerito Mellifluus *Bernardus* Maris stellam salutavit, & nuncupavit: *Ave* inquiens *maris stella*, uti & ex ipsius ad cynosuram cœlicam similitudine liquet colligere.

§. 3.

ET primo quidem à Cynosura cœlica hæc nautis est consolatio, quod ipsâ eis apparente habeant quodammodo viæ ducem, quem sequantur ut ad felicem portum pertingere valeant. Nec deest navigantibus hujus mundi mare à Cynosura

sura mystica glorioſissima virgine hæc cõsolatio, MARIA enim via est, & dux vitæ nostræ, sic eam appellat spiritualis ille scriptor *Blosius* hisce eam in suis precationibus salutans verbis *Glorioſissima* ait *Dei genitrix vitæ nostræ dux certissima, porta divinæ gratiæ, & maris mundi hujus procelloſi portus ſecuriſſimus*: Eodem nomine & elogio ante *Blosium* insignivit Seraphicus *Bonaventura*: *Benedicta sit* inquit *MARIA mater Christi, ipsa enim est via ad patriam salutis*. Et alio item loco *ipsa* inquit *est janua salutis, via nostræ reconciliationis*: Nec facile portum pertinget cui hæc Cynosura non luxerit, & viæ dux fuerit, ut non immerito tam zelose ac ferventer jam citatus *Bonaventura* admoneat exhorteturque peccatores quosvis ad hanc suspirare, & respicere ut portum securum pertingere valeant: *Respirate ad illam* inquit *peccatores & perducet vos indulgentiæ portum*.

Secunda Consolatio, & subsidium quod à Cynosura sua nautæ habent est: quod quamdiu ipsa eis luxerit, securos se sciant ab omni tempestate, & procellis: non enim hæc stella radios suos celat, & abscondit

abſcondit niſi ob tempeſtatem appropinquantem: Idem in noſtra Cynoſura myſtica obſeruant Sancti Patres, quamdiu enim hæc radios gratiæ & benevolentiæ, ad navigantes mundi mare convertit, vel è contra illi eam inceſſanter aſpiciunt, nullius rei periculum eſt: at contra ſi hæc Cynoſura gratioſum ſuum aſpectum abſcondat, res omnino deſperata eſt: tales perire neceſſe, naufragium perpeti, & in vaſtiſſimo hoc mari ad inferna demergi certiſſimum eſt: hinc tam ſeria & frequentius inculcata Doctoris Melliflui exhortatio: *O quisquis te intelligis* (ſerm. 2. ſuper Miſſus eſt Angelus &c.) *in hujus ſæculi profluvio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare: ne avertas oculos à fulgore hujus ſyderis, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca MARIAM. Si jactaris ſuperbiæ undis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice ſtellam voca MARIAM. Si iracundiâ, aut avaritiâ, aut carnis illecebra, naviculam concuſſerit mentis, reſpice ad MARIAM. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ*

fœditate

fœditate confusus judicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita MARIAM. *In periculis, in angustijs, in rebus dubijs,* MARIAM *cogita,* MARIAM *invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ duce non fatigaris, ipsâ propitiâ pervenis: & in teipso experiris, quam merito dictum sit, & nomen Virginis* MARIA. Hucusque mellifluus *Bernardus.* Iterum ergo repeto impossibile esse salvari, & necesse damnari àquo hæc stella aversa fuerit. Testes appello duplex MARIÆ Corculum, *Bonaventuram* inquã & *Anselmum.* Et *Anselmus* quidem *Quemadmodum* ait *impossibile est ut illi à quibus Virgo* MARIA *oculos misericordiæ suæ avertit salventur, ita necessarium, ut hi ad quos oculos suos convertit, pro eis advocans juficentur & glorificentur.* Non aliter sentit *Bonaventura* sed quasi confirmans ab *Anselmo* dicta: *Quem vis* inquit hic *salvus erit, & à quibus avertis vultum tuum, vadit*

in inte-

in interitum. Et iterum *quibus auxiliata fueris Domina erit refrigerium pacis, & à quibus avertis vultum tuum, non erit eis spes ad salutem:* Atque ob hanc causam tantoperè ab hac stella maris illuminari exoptat exclamans; *Illumina me stella maris, clarifica me Virgo clarissima:* Nec mirum hoc cuiquam videatur, non enim hæc stella radios gratiæ suæ retrahit, & abscondit, nisi homo jam sit perditioni proximus, cum nimirum in procellas sine fine duraturas dejicitur. Igitur cum omni mentis devotione & alacritate hujus cælestis, mysticæque Cynosuræ auxilium imploremus, cum pientissimo Abbate *Blosio* exclamantes: *O stella semper rutilans virgo* MARIA, *illumina tenebras cæcitatis nostræ, claritate adventus tui:* Et alio pio scriptore.

Stella maris emitte radium,
Placa mare, tolle naufragium,
Rege navem periclitantium,
Esto lapsis in adjutorium.

Tertio sublato lumine stellæ hujus, nautæ quodammodo in tenebris versantur, nam quo se vertere debeant nesciunt, & quem-

& quemadmodum homo in tenebris ambulans, facile offendit, & in præceps ruit, cum lumine directrice careat: ita & nautæ sublato lumine Cynosuræ suæ directricis, facile in varia pericula, rupes, charybdes & pyratas incidunt: Idem contingit navigantibus procellosum mundi mare sublato lumine directrice stellæ suę mysticæ: ita diserte *Bernardus Tolle* ait *MARIAM hanc maris stellam, maris utiq; magni & spatiosi, quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?* ita est neque facile quis securus erit cui hujus Cynosuræ claritas non affulserit: hinc non contemnendum Seraphici *Bonaventuræ* consilium, *in periculis* inquientis *in rebus dubiis invocate eam, & in necessitatibus vestris invenietis auxilium, & refrigerium dulce:* Conformiter monitioni jam citati ante *Bernardi ne avertas oculos tuos &c.*

Denique quemadmodum Cynosura cæleſtis, nullum navigantiū habet respectum, sed omnibus mare navigantibus, tam malis, quam bonis, tam pyratis, quam probis nautis, radios suos impertit; ita &

Cynosura mystica virgo benedicta, personam non accipit, sed promiscue tam peccatoribus, quam justis, suæ charitatis ac benignitatis radios communicat, propter quod *Bernardus* eam alloquens (*serm. paneg.*.) *Tu* inquit *peccatorem quantumlibet fœtidum non horres, non despicis, si ad te suspiraverit, tuumq; interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum à desperationis barathro piâ manu retrahis, spei medicamen aspiras, foves nec deseris, quousq; horrendo judici miserum reconcilies.* Imò majorem peccatorum quam justorum curam gerit, sciens, non esse opus sanis medico, sed male habentibus: nec ignorans se propter peccatores matrem Dei electam, nisi enim *Adam* peccasset, Deum incarnari necesse non fuisset, ac consequenter nec ipsa Dei mater facta esset. Tam præclari quoque syderis ac Cynosuræ subsidio, ab omnibus mundi procellis, carnis titullationibus, dæmonumque tentationibus erui animitus exoptemus, eam præclarissimis hymni verbis inclamantes:

Ave Virgo singularis,
Mater nostri salutaris,

Cœli

Cæli sydus, stella maris,
Stella non erratica.
Nos in huius vitæ mari,
Non permitte naufragari,
Sed affectum tui chari,
Supplex in nos explica.
Sævit mare, furunt venti,
Fluctus surgunt turbulenti,
Navis currit sed currenti,
Quot occurrunt noxia?
Hic syrenes voluptatis,
Draco, canes, cum pyratis,
Mortem penè desperatis,
Hæc intentant omnia.
Contabescit in his malis,
Homo noster animalis,
Sed tu mater specialis,
In occursum propera.

§. 4.

AMplius ut supra attigimus, dulcissimum hoc nomen *MARIA*, significat idem ac illuminans, & illuminata: cælestis sponsus suavitate huius sanctissimi nominis sæpius degustatâ, eam vivo oris & linguæ suæ penicillo adumbrare & depingere volens : *Oleum* inquit *effusum nomen*

suum nec ocioſè nomen hoc cum oleo comparatur: *Oleum* enim ut ait *Bernardus* ſerm. 15. in Cantica: *Lucet, paſcit, & ungit: fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, lux, cibus, medicina. Videte idem nunc & de ſponſæ nomine.* Lucet prædicatum, paſcit recogitatum, invocatum, lenit, & ungit: nec tantum lux eſt nomen *MARIÆ*, ſed eſt & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? quid æq; mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honeſtos, caſtas fovet affectiones? Aridus eſt omnis animæ cibus *MARIAM* diligentibus propoſitus, ſi non oleo iſto infunditur. Inſipidus eſt ſi hoc ſale non conditur. Si ſcribas non ſapit mihi niſi legero ibi *IESVM* & *MARIAM*. Si diſputes, aut conferas, nõ ſapit mihi niſi ſonuerit ibi nomẽ *IESV* aut *MARIÆ IESVS* & *MARIA* melin ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed eſt nomẽ hoc & medicina. Triſtatur aliquis noſtrum? veniat in cor MARIA, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in

crimen,

crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando: nonne si invocet nomen vitæ confestim respirabit ad vitam? Cui in periculis palpitanti, & trepidanti, invocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui in adversis diffidenti, iam iamque deficienti, si nomen adiutorij sonuit, defuit fortitudo? cui quæso in dubijs æstuanti, & fluctuanti, non subitò ad invocationem clari nominis emicuit certitudo? nimirum morbi & languores animi isti sunt, illud medicina: nihil enim ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem, quam hoc dulcissimum nomen.

Deniqúe quinque quoque gratias singulares habet hoc sanctissimum nomen, quinque eiusdem litteris: quinque etiam figuras excellentissimas, singulis litterarum eiusdem sanctissimi nominis correspondentes. Piæ prorsus speculationes: quinque eiusdem gratias, & prærogativas hoc modo exprime.

Mater misericordiæ,
Advocata afflictorum,
Refugium peccatorum
Inventrix gratiæ,
Amica Angelorum.

Sic & eisdem litteris correspondent, totidem nobilissimarum mulierum antiquæ legis figuræ:

MARIA soror Moysi,
Abigail,
Rachel,
Iudith,
Anna mater Samuelis.

De quibus in sequentibus titulis, & encomijs dicendum erit per singula. Igitur ut huic encomio finem imponamus, omnes nos inclamat non immeritò propheta Evangelicus: *Date nomini eius, SSmæ.* inquam matris *magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum ac citharis*? nomini inquam quod post suavissimum nomen *IESVS* est super omne nomen: nomini quod dignum esset omnium hominum cordibus penitus insculpi, quod teste *Petro Chrysologo: Pro-*

go: Prophetiæ germanum est, quod renascentibus salutare, quod virtutis insigne, quod pudicitiæ decus, quod indicium castitatis, quod Dei Sacrificium, quod hospitalitatis virtus, quod collegium sanctitatis, ut non immerito nomen matris Christi sit nomen maternum. Et ut benè ait *Canisius: si ullum aliud venustum, præclarum, & gratiosum, nomen ulli contingit mortalium, quod scribi, legi, decantari, sculpique mereatur, id MARIÆ nomen videri potest: dignum sanè quod in omnes oculos, aures, & mentes incurrat, magnaque cum Reverentia, & privatim & publicè nominetur.* Ipsa autem sanctissima Mater, & Virgo, suum dulcissimum nomen cordibus nostris inscribere dignetur, ut ipsum cor nostrum incessanter benedicat, & glorificet. *MARIA* sit nobis *MARIA* sit nobis stella, & Cynosura in hoc mari periculosissimo navigantibus, ipsa ducat per anfractus viarum, docens vitare noxia, prosequi salutaria, ut eâdem duce tandem ad felicissimum beatitatis portum, pertingere & quam iam per speciem & in ænigmate tandem facie ad faciem & jucundissimo eius aspectu satiari mereamur æternum.

CAPUT SECUNDUM.

Encomium Marianum *Secundum.*

S. DEI GENITRIX.

CONsideratâ excellentiâ, ſuavitate, figuris & ſignificatione ſanctiſſimi & dulciſſimi nominis *MARIÆ*, iam ad alias eiuſdem excellentias, quarum ipſum eſt fundamentum conſiderandas digrediamur. Inter eas autem veluti ſol inter planetas excellit, ſupereminet, ac tranſcendit, quod ipſa ſit Mater Dei. Excellentiam hanc in ſpiritu olim prævidens Evangelicus Propheta *Iſaias*: *Erit* inquit *in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & elevabitur ſuper colles*: Quem locum explanans primus ordinis Benedictini Pontifex Maximus, & re, & nomine *Gregorius* Magnus, ſuper 1. Reg. 1. *Poteſt* inquit *huius montis nomine beatiſſima Virgo deſignari, mons quippe fuit qui omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis MARIA, quæ ut conceptionem verbi*

verbi æterni pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros, vsque ad soliũ Deitatis erexit? huius quippe montis præexcellentissimam dignitatẽ Isaias vaticinans ait, erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium : mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo MARIÆ super omnes sanctos refulsit : Et sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem : mons quippe & habitatio seu domus aptè dicitur: quæ incomparabilibus est meritis illustrata, Dei vnigenito, in quo recumberet, sacrum vterum præparauit : Nam in vertice montium MARIA non fieret, si supra Angelorum altitudinem hanc divina fœcunditas non levaret, & domus Domini non fieret, si in eius ventre per assumptam humanitatem verbi divinitas non jaceret. Hæc jam citatus *Gregorius*, & benè dicitur mons beatissima Mater propter altitudinem dignitatis, virtutis, & gratiarum, quæ à Domino cumulatissimè accepit, cuius quidem adeò ingens est altitudo, ut nullus reliquorum sanctorum, vel Angelorum, ei valeat comparari, ob quod ulterius alio loco hanc eminentiam idem Propheta ex-

planare volens cap. 35. *lætabitur* inquit *deserta, & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium* : Et paulò post magnificentiæ illius dans explanationem, *Gloria* ait *Libani data est, ei decor Carmeli & Saron.* Est autem Libanus, quod interpretatum dicitur Candidatio, mons altissimus in phœnicia, continuis nivibus hyeme & æstate candidatus : mons fœcunditatis, & opulentiæ, quia herbis & pascuis abundat: mons item redolentiæ & aromaticitatis, quia thus & herbæ odoriferæ ibi generantur : Est & mons iste eminentiæ, & sublimitatis, secundum *Rabanum Maurum*, quia à navigantibus à remotissimis etiam partibus cernitur : Est & mons iste humiditatis, quia fluminibus & fontibus irrigatur, & ab eo fontes fluminaque emittuntur: Est & mons fiduciæ, & securitatis, eò quòd sit immunis ab omnibus venenatis animalibus, serpentibus, hisque similibus, quæ fugantur ab odore arborum aromaticarum, Cedri, Cypressi, Palmæ, Olivæ, &c. Est denique mons pulchritudinis, & amœnitatis, lætitiæ & jucunditatis, medicinæ & sanitatis, quia arborum perpetua viriditas,

viriditas, fructuum suavitas, fluctuum vivacitas, avium cantus & garrulitas ipsum faciunt decorum, & iucundum, maximè quia in lateribus eius crescunt vina optima, arboresque medicinales, de quibus tam dictum est. Has proprietates attendisse videtur, jam citatus propheta, præcipuè tamen eius eminentiam, & sublimitatem. Licet autem *S. Hieronymus Basilius & Gregorius* hunc locum *Isaiæ* explicent, de beneficijs à DEO Synagogæ, & Ecclesiæ præstitis: ad intentum tamen nostrum hunc locum congruentissimè exponunt, de eminentiâ & magnificentiâ beatissimæ Virgini Matri collatis, sancti *Thomas à Villanovâ* serm. de Nat. Virg. *Rupertus*, & *Dionysius Carthusianus* in cantica. Quod si quæramus à S. *Ioanne Damasceno*, quantam existimet esse huius montis altitudinem, & eminentiam, Respondet ille Orat. 1. de Nat. *Virgo mons est ille qui collem omnem, ac montem, id est Angelorum & hominum sublimitatem exuperat: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Si autem præsulem Hipponensem *Augustinum*: Respondebit ille, *talem eius esse celsitudinem,*

ſitudinem, ut neque ab Angelico intellectu, neque ab humano comprehendi poſſit. Magnus nomine & re *Gregorius*, *tantam* ait eſſe *eius eminentiam, ut participet quoddam eſſe divinum*, conformiter ad mentē Cantuarienſis Archi-præſulis *Anſelmi* qui tantam arbitratur eſſe illius eminentiam, ut *infinitum propè accedat: Hoc ſolùm* ait ille *de ſanctâ MARIA Virgine prædicare, quod Dei mater eſt excedit omnem celſitudinem, quæ poſt Deum cogitari vel dici poſſit*: *B. Laurentius Iuſtinianus, celſitudinem eius tantam aſſerit, ut primatû ſuperet omnem creaturam.* Maiora de excellentia hac celebrare, & aſſerere audet *Bonaventura tantam* inquiens *illius ſublimitatem, ut Deus de potentiâ ſuâ ordinariâ eam ad maiorem altitudinem extollere nequiverit.* Et denique Doctor Angelicus *Thomas Aquinas*, quaſi ad ultimum potentiæ divinæ ſe extendens *tantam eius eſſe excellentiam, altitudinem ac eminentiam* dicit, *ut neque Deus de potentia abſoluta maiorem, ſublimiorem, aut excellentiorem facere potuerit matre Dei*: *Beata Virgo* ait citatus Doctor 1. parte quæſt. 26. *ex hoc quod eſt mater Dei, habet quandam dignitatem*

tatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eâ.

§. 1.

MIrabilis prorsus & inexplicabilis debet esse excellentia quæ Deo limites potentiæ imponit : Omnipotens est Deus, potestq; facere omne factibile juxta illud Angeli *Gabrielis non est impossibile apud Deum omne verbum: Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Cœlum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, mille mundos hic unico verbo fiat, facere posset : Et maiorem beatissimâ suâ genitrice facere non posset ? Theologi hoc mysterium & sacramentum penitius contemplantes dicunt DEUM potuisse maiorem quidem facere subjectivè & entitativè non tamen terminativè, hoc est: potuisse Deum de potentia sua sive ordinaria, sive absoluta, producere, aliquam virginem, seu subjectum quod secundum se sumptum esset maioris excellentiæ, & dignitatis quam glorioſissima virgo *MARIA*, secundum se præcisè considerata, eo quod daret illi vel posset dare saltem maiorem gratiam,

gratiam, illâ quam habet beatissima virgo: cum gratia illius sit finita & possit per Deum magis ac magis augeri (non enim datur infinitum in Esse physico extra Deum secundum probabiliorem *D. Thomæ* sententiam) non potest autem Deus maiorem facere quam sit mater sua; Terminus enim maternitatis Dei, est ipse Deus, ac proinde cum implicet dari maiorem Deum illo quem beatissima Mater genuit, implicat dari maiorem ipsa matre Dei: ut non immerito glorietur virgo sacratissima in cantico suo: *Fecit mihi magna qui potens est*: quę verba ponderans, *S. Bernardinus Senensis*, tom. 3. serm. 6. art. 2. cap. 1. ipsam beatissimam matrem sic introducit loquentem. *Qualia autem sunt non exprimo, quia nec planè auris Angelica intelligere potest. Ista autem magna non solùm creaturis sunt maxima, sed etiam maxima & insuperabilia illi, qui potens est, imò omnipotens est, & sanctum nomen ejus & tamen nec potentiora nec sapientiora ille facere potuit, quam quæ in me ipse fecit.* Nimirum ut jam dictum hæc maternitas terminus est omnipotentiæ divinæ: hic jam amplius locum non habet symbolum quo ad insigne

insigne suum utebatur olim *Carolus* V. Imper. nimirum, *plus ultra*, sed delendum hoc hic & ejus loco ponendum *non plus ultra*.

Putant quoque plerique sancti Patres, quod licet beatissima mater fuerit ab instanti suæ Conceptionis summè illuminata, tamen nec ipsa hanc dignitatem, scilicet esse matrem Dei, perfectè penetrare potuerit: licet hoc ipsum eidem concedere videatur Doctor mellifluus quod tamen Angelo cælesti internuncio denegat: postquam enim consideravit beatissimæ virginis interrogationem, *Quomodo fiet istud, &c.* Pensans Angeli responsionem Spiritus sanctus, &c. introducit eum hoc modo loquentem: *Modum illum quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus & Dei sapientia Christus, sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur & tibi. Ac si Angelus respondeat ad virginem: Quid à me requiris, quod in te mox experieris? Sciens scies & feliciter scies, sed illo Doctore quo & auctore. Ego autem missus sum nunciare virginalem conceptum non creare. Nec potest doceri nisi à donante: nec potest addisci nisi à suscipiente:*

Et

Et paulò antè *Quid est* inquit idem *Bernardus, & virtus altissimi obumbrabit tibi? Qui potest capere capiat: Quis enim exceptâ fortassis illâ, quæ hoc sola in se felicissimè meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille, inaccessibilis virgineis sese visceribus infuderit, & ut illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset de portiuncula eiusdem corporis, cui se anima contemperavit? Et propter hoc maximè fortassis dictum est obumbrabit tibi, quia res nimirum in sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in sola, & cum sola virgine voluit operari: soli datum est nosse, cui soli datum experiri.*

§. 2.

SIngulariſſimi Deiparæ Cultores, ut ſuum erga eam manifeſtent amorẽ, infinitos quodammodo honoris, decoris titulos & encomia, quibus dilectiſſimam ſuam & Domini Matrem honorent, eiuſque gratiam demereantur ad imitationem carnalium amatorum, qui ut amaſiarum ſuarum carnalium amorem & favorem aucupentur, neſcio quos non pueriles, futiles riſuque & cachino dignos titulos excogitant, ijſdemq; accommodant: nulla enim

ſatis

satis mãgna sunt amoris officia, ut ait Abbas *Gillebertus* serm. 19. in cantica præsertim spiritualis. *Quomodo enim erit in suo parcus qui in alieno fidelis existit? Amor se ipso nihil impendit libentius, nihil uberius potest. Amor inæstuat, seipsum non capit, superfluit sibi immensitatem æmulatur, dum metam nescit affectui ponere. Oleum est quod stare nescit nisi cum vasculum desijt, nisi quod nec tunc novit compesci. Musti præfert amor insigne quod nativitatis suæ fervore quodam, & velut ætatis lasciviâ excrescit & superfluit, capi nesciens & novo semper excrescit, exfervescit & fermentatur affectu. Amor infirmitatem non causat sed magis accusat. Amori nihil satis est, nihil minus seipso. Amor seipso satiari non potest, & tamen nisi seipso pasci non potest; ipse sibi satis dulce est pabulum.* Et hæc vera esse experientiâ utiq; propriâ norunt, hujus dulcissimæ matris cultores & amatores, hinc illa Encomia qua alij eam filiam patris cælestis: alij Sacrarium Spiritus S. alij aulam cælestium Sacramentorum: alij compalatium animatum Regis Angelorum: alij alijs eam titulis & encomijs celebrant: at omnes hos alioſque laudis titulos superat

si eam Dei matrem prædicavero. Hinc *Petrus Cellensis*, de pan. lib. 16. cap. 21. hanc admirans dignitatem: *Si cæli inquit Reginam, si Angelorum Dominam vel quodlibet aliud excellentissimum tam ab humano corde quàm ore excogitatum protuleris, non assurget adhuc super indicibilem honorem quo creditur & prædicatur Dei genitrix.* Si enim magnum & honorificum est matrem esse Comitis, majus matrem principis, aut certè Regis, maximum autem esse Imperatoris, aut summi Pontificis; quantò ineffabiliter & infinito majus erit esse matrem Imperatoris cœli & terræ, Creatoris, DEI omnipotentis? Hinc *Dionysius Carthusianus* explicans hunc locum, capitis septimi cantici canticorum. *Iunctura fœminum tuarum sicut monilia: Magnum* ait *esse virginem: majus autem virginem tam puram ut numquam inordinatum passa sit metum, nec stimulum corporis, nec concupiscentiam appetitus. Maximum verò esse matrem, ac virginem: at verò supermaximum esse virginem, & matrem veri Dei.*

§. 3.

§. 3.

SEd ut hanc virginis matris Excellentiam adhuc amplius penetremus: consideremus tantò majorem alicujus excellentiam esse quantò majus dominium: DOminium autem tantò est majus, quantò aut ad plures provincias, aut plures subditos regendos extenditur: hinc Imperatoris major est dignitas, quia majus Dominium: majus autem Dominium, quia in omnes totius imperij fines, populosque universos regendos extenditur. Et propter hoc solent magnates suam volentes patefacere potestatem, in titulis suis regiones quarum sunt Domini exprimere: Exempli gratia Imperator hoc modo: Leopoldus I. Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus Vngariæ & Bohemiæ Rex, &c. sic & psaltes Regius Christi Domini majestatem posteris ejus significare cupiens, *Dominabitur* inquit *à mari, usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum*. Ps. 71. Attendite jã quæso paulisper dignitatem *MARIÆ* Dei parentis, tanta nimirum est ejus Dominatio ut nesciam quid de ea sublimius dici possit, nimi-

rum ejus Dominatio ad ipsum etiam Christum Regem & Dominum Angelorum se protendit & hoc ipsum disertis verbis enunciat *Evangelista Lucas*, c. 2. *Et erat* inquit *subditus illis* : Tantam virginis matris excellentiam ab una & submissionem filij Dei ex altera partibus considerans *Bernardus*, hæret præ stupore & admiratione: *Si cujus* ait (Homil. 1. supèr missus) *MARIA sit mater attendas: quo te tua super ejus admirabili celsitudine ducet admiratio? nonne ad hoc ut te videas non posse satis mirari? nonne tuo imo veritatis judicio illa quæ Deum habuit filium super omnes etiam Choros exaltabitur Angelorum? An non Deum, & Dominum Angelorum MARIA suum audacter appellat filium? dicens Fili quid feciſti nobis sic? quis hoc audeat Angelorum? sufficit eis & pro magno habent quod cum sint spiritus ex conditione, & gratia facti sunt & vocati Angeli testante David: Qui facit inquit Angelos suos spiritus. MARIA verò matrem se agnoscens majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paulò post subdit Evangelista, & erat inquiens*

subditus

subditus illis. Quis? quibus? Deus hominibus Deus inquam cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat MARIÆ. Mirare ergo utrumlibet & elige quid amplius mireris, sive filij benignissimam dignationem, sive matris excellentissimam dignitatem. Vtrinq; stupor, utrinq; miraculum. Et quod Deus fœminæ obtemperet humilitas absq; exemplo, & quod Deo fœminæ principetur sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocunq; jerit. Quibus ergó laudibus judicas dignam quæ etiam præit.

Ex quibus non incongruè inferri posset, *MARIAM* Domini matrem dignitate suâ aliquatenùs Christi Domini dignitatem transcendere, ac superare, & imperium ejus imperio Christi aliquo modo majus esse, quia nimirum Christus omnibus rebus creatis imperat, *MARIA* & ipsimet Christo.

§. 4.

SEd jam ad montis metaphoram revertamur. Mons linguâ Hebraicâ Harar id est prægnans dicitur, nec immerito non solum propter figuram ejus quæ prægnantis vide-

tis videtur, sed etiam quia ex monte multa & utilia mundo generantur. Ex montibus enim veluti ex genitrice & matre oriuntur varij generis arbores quarum aliæ ad ignē, ad ædificia exstruenda aliæ idoneæ sunt: hæ ad fructus edendos conducunt, sic & montes herbas jumentis, armentis ac gregibus alendis producunt, juxta illud Psalmistæ: ps.146. *Qui producit in montib⁹ fœnū & herbam servituti hominum:* pariunt etiam multas herbarum species medicinalibus usibus aptas, producentes nimirum vineas messes, arboresque medicinales: fontes item emittunt irrigantes concava vallium, fluminibus aquam ministrantes, denique in montibus generatur aurum & argentum, aliaque hujusmodi metalla mineralia, lapidesque pretiosi & his similia, de quibus supra dictum est de monte Libano. Rectissimè ergò montis nomine beatissima virgo designatur: in ea siquidem crevit natumque est frumentum & triticum Electorum, quod Ecclesiæ DEI horrea adimplevit: ab hujusmodi enim mille & plus quàm sexcentis annis abundamus cælesti frumento, & vino etiam divino

vino torcularia noſtra redundant: in eâ inquam natus eſt ille qui de ſe ipſo fatetur: *Ego ſum panis vivꝰ qui de cælo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* Joan. 6. Ex hoc etiam monte emanavit & originem traxit fons ille, qui irrigat univerſam ſuperficiẽ terræ Chriſtꝰ Dominꝰ, de ſe ipſo proclamãs: Joã. 4. *Si quis ſitit veniat ad me & bibat, & de ventre ejus fluent aquæ vivæ: ſietq; in eo fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam.* Ex hoc monte eductus eſt lapis ille, qui facit utraque unum, qui factus eſt in caput Anguli: lapis præfiguratus in lapide illo, qui abſciſſus de monte ſine manibus, comminuit magnam illam ſtatuam, cujus caput aureum, &c. In hoc inquam monte invenitur petra, quæ ſitienti populo dulcẽ emittit aquã: 1. Cor. 10. *Petra* enim juxta Apoſtolum *erat Chriſtus*: Deniq́ue in hoc monte inveniuntur aurum charitatis, argentum ſapientiæ, lapides margaritæq́ue pretioſiſſimæ, omnigenarum virtutum: ut non immeritò ſed digniſſimè beatiſſimæ Virginis fœcunditatem, ſeu quod ſit Mater Dei tantis laudibus & encomijs celebrent. S. P. imò ipſi

etiam infensissimi Catholicæ fidei adversarij hanc dignitatem in beatissima Virgine agnoscant ac venerentur. Et quidem hæreticorum & hæresiarcharum facile Coriphæus *Martinus Lutherus* in expositione Cantici *Mariani, Magnificat*, his eam laudibus celebrat: *Eo ipso* inquit *quod MARIA mater Dei facta est, tam ingentia ei dona data sunt, ut superent captum cujusque. Hinc omnis beatitudo & honos pervenit, ut in universo genere humano unica persona sit superior cunctis, cui nemo sit par, quæ cum patre cœlesti filium habet communem.* Cui simile aut majus an ab aliquo maximo hujus virginis amatore aut cultore dici possit non video: *Luthero* subscribit *Oecolampadius*, suam etiam mentem erga hanc beatissimam Matrem ostendere volens: *numquam* ait *de me audietur quasi averser MARIAM erga quam minus bene affici reprobatæ mentis certum est indicium esse, nollem è cultu MARIÆ aliquid diminui. Sicut homini communicatur omnium creaturarum dignitas, ita ista omnium humanarum excellentiarum particeps fuit*: Sic *Oecalampadius* serm. de laud. virg. cum quo coincidit & alter hæreticus *Bulingerus: Omnia*: in-

nia: inquit *ille in MARIA sunt excellentissima, nihil ibi vile, nihil vulgare sed omnia plena miraculis à manu divina profectis.*

§. 5.

NIhilominùs habuit & hæc sanctissima ac dignissima mater adversarios alios hæreticos, qui eidem summam hanc dignitatem auferre conati sunt impijssimis oribus & linguis blasphemis volentes eam non Δεώτοκος id est Dei matrem sed Χριστότοκος, id est Christi matrem appellandam esse. Ex diversis tamen principijs procedentes: *Valentiniani* siquidem eam Dei matrem negaverunt eò quod dicerent Christum spirituale, & cæleste corpus assumpsisse, nihil de bm̃a virgine accepisse sed per eam tanquam per rivum, aut fistulam transiviisse. Et hunc errorem sequuntur adhuc *Anababtistæ*. Alij verò eam Dei parentem negaverunt quod assererent Christum non veram, sed phantasticam carnem & corpus assumpsisse ita senserunt *Cerdon, Marcion & Manichæus*. Alij deniique eam Dei matrem negaverunt eò quod duplicem in Christo personam ponerent:

nerent: unam æternam à patre cæleſti ante ſæcula genitam, verumque ejus filium, aliam in tempore ex beatiſsima virgine quam filium hominis, & virginis matris nuncupaverunt; ita impius *Neſtorius*. *Photinus* autem contra ei maternitatem Dei ſubtrahere conatus eſt quod Chriſtum purum hominem fuiſſe aſſereret, qui tamen tantum in gratia augmentum percepiſſet, ut meruerit filius Dei nominari: ſed contra hos omnes ſtat firma veritas Catholicæ Eccleſiæ, quæ eſt baſis, & firmamentum veritatis: ſtat intrepida mulier illa Evangelica, quæ ſcribis, & phariſæis Dominum tentantibus, ſimul & blaſphemantibus, tantâ ejus incarnationem præ omnibus ſinceritate cognoſcit, tantâ fiduciâ confitetur, ut & præſentium procerum calumniam, & futurorum confundat hæreticorum perfidiam, alta voce exclamans dicenſque ſalvatori: *Beatus venter qui te portavit & ubera quæ ſuxiſti*. In quæ noſter venerabilis *Beda*: lib. 4. cap. 45. in Lucam: *Si* inquit *Caro verbi Dei ſecundum carnem naſcentis á carne virginis matris pronunciatur extranea* (quemadmodum jam citati hæretici

retici cum Eutychete asserebant) *Sine causa venter qui eum portasset & ubera quæ lactassent beatificarentur. Dicit enim Apostolus, quia misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: neq; audiendi sunt qui legendum putant, natum ex muliere, factum sub lege, sed factum ex muliere: quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliundè, sed maternâ traxit ex carne, alioquin nec verè filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine.* Sed & hæreticorum ante citatorum opiniones falsas esse ipsæ sacræ paginæ manifestè demonstrant: *Valentinianorum* quidem dum varijs in locis vocatur Christus *Filius David, factus ex semine David secundum carnem; factus ex muliere*, sed & sacræ litteræ ubiq; beatissimam Virginem veram Christi matrem confitentur, quod non esset si de substantia ejus genitus non esset: Deinde si corpus Christi fuit spirituale, cæleste, vel phantasticum ut volebat *Manichæus*: profectò corpus illius non fuit verè passibile, sed tantum apparenter; quod si dicatur, certè sequetur Christum non redempsisse nos, quod per veram Christi mortem & passionem

nem fieri debuit, quæ tamen in corpus ſpirituale aut phantaſticum cadere non potuerunt. Sic & *Photini* opinionem annihilant variæ Chriſti affirmationes, dum ſe ſimilem patri & unum cum illo affirmat: & cæleſtis incarnationis myſterij internuncius, *quod* inquit ad beatiſsimam virginẽ *ex te naſcetur, ſanctum vocabitur filius Dei.* Et iterum *hic* ait, *erit magnus & filius altiſſimi vocabitur:* Luc. 1. *Et Eliſabeth vnde hoc* inquit, *mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Neſtorij* denique hæreſim refutat diſertis verbis *S. Athanaſius* in ſuo ſymbolo *ſicut* inquit *anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus* : Et paulò ante: *Qui licet Deus ſit & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus*: Eandem fuſe refutant & explodunt Theologi in Theologicis Tractatu de Incarnatione, probantes candem naturam non poſſe terminari diverſis perſonalitatibus, ſed hæc ad longum adducere, non eſt præſentis propoſiti.

In hosimpios nõ incongruè quadrat pſaltis regij aſſertũ, *poſuerunt* inquit pſ. 72. *in cælum os ſuum*: dum nimirũ ſe ſolẽ juſtitiæ venerari profitentur in matrem tamen ejus

ſanctiſ.

sanctissimam propudiosè jaculantur, quasi non esset mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus *Apoc.* 12. quasi non esset illa quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata *Cant.* 6. quasi non esset (teste *Damasc.* orat. 1. de Nat. B. *MARIÆ*) cælum ex terrena materia conditum ab eo qui olim firmamentum ex aquis finxerat atque in altum extulerat, ac sanè hoc longè illo divinius; nam qui in illo solem effecerat, ex hoc justitiæ sol ortus est. Quis ergò eam *cælum* nuncupans aberretà vero, nisi fortè rem recte intelligens ipsis quoq; cælis incomparabili præcellentiæ modo eam superiorem dicere malit? Etenim is qui cælorum architectus & conservator est; qui rerum omnium conditarum tam mundanarum quám supermundanarum, tam aspectabilium quàm inspectabilium, artifex; cujus nullus in omnibus rebus locus est (siquidem id quod continet eorum quæ continentur locus esse definitur) in ea à se ipso sine semine infans effectus est, eamque latum suæ Deitatis omnia complectentis promptuarium reddidit: Totus nempè

nempè citra ullam perpessionem in ea collectus, ac totus intus manens, locumq; sibi habens qui comprehendi nequeat. Cum Dominus apud propheram dicat, *Cælum sedes mea,* quis ambigat eam rectè *Cælum* nuncupari, quæ intra sua castissima viscera Deum novem mensium spatio quiescentẽ gessit, sicut ipsa per Ecclesiasticũ ait, *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo?* Eccl. 24. quã prærogativam ei gratulans mox citatus *Damascenus* orat. 1. de Assumptione, exclamat ad ipsã: Tu es *solium* illud regiũ, cui astiterunt Angeli, Dominum & factorem insidentem cernentes : Tu spiritalis *Edem,* antiquâ illâ sanctior, ac divinior; siquidem in illa terrenus Adam commorabatur, in te autem Dominus cæleſtis : te *Arca* illa, quæ secundi mundi semina conservabat, adumbravit ; quippè quæ Christum mundi salutem, qui peccatum obruit ejusque fluenta compressit, peperisti : Te *rubus* delineavit, *tabulæ* divinitùs perscriptæ significarunt, *fœderis arca* prænunciavit, *urna,* & *candelabrum,* & *mensa,* & *virga Aaronis* quæ *floruit*, apertè præfigurarunt; siquidem ex te divinitatis flamma, ille Patris

tris terminus & ratio, ſuaviſſimum illud & cæleſte manna, nomen illud & nominis expers atque omne nomen ſuperans, lumen illud ſempiternum & inacceſſum, ille panis vitæ ac cæleſtis, ille nullis agricolæ manibus excultus fructus, corporaliter pullulavit. Quid? Annon te *fornax* illa deſignavit, quæ ignem ſimul refrigerantem & inflammantem oſtendebat, diviniq; illius ignis in te habitantis typum gerebat? quin & *tabernaculum Abrahæ* te apertiſſimè indicabat, quatenùs Verbo Domino in utero tuo tanquam in tabernaculo habitanti humana natura ſubcinericium panem, hoc eſt, ſui primitias, ex puris tuis ſanguinibus obtulit, à divino igne quodammodo coctas, panemque effectas.

Eſt ergò *MARIA* non modò cælum, ſed etiam *præcellens cælum*, prout eam diſerte nominat *Andreas Cretenſis*; Qui & complura alia ejuſdem elogia ibidem coacervat, vocans eam:

Terram DEO cultam,
Delibationem maſſæ humani generis in Chriſto deificatæ,
Simillimam primariæ ſpeciei ac decoris repræſentationem, Arca-

Arcanorum Dei judiciorum thesaurum à Deo obsignatum,
Virtutum domicilium,
Spiritalem librum sermonum mirabilium divinæ in nos dispensationis,
Profunditatem inexplicabilem ejus qui omnia in omnibus implet,
Turrem fortissimam absconditæ spei,
Incorruptionis impenetrabilis thesaurum,
Regiam stolam Verbi sempiterni,
Terrenum cœlestis Regis palatium,
Cœlestem divinorum cum hominibus contractuum officinam,
Congruentissimam divinæ humanationis materiam,
Perfectum optimi artificis lutum,
Perspicuissimum spiritalis lucis vehiculum,
Lampadem per quam Sol justitiæ nostris se aspectibus ingessit,
Intellectuale speculum divini splendoris,
Sublime solium in quo sedens Dominus Sabaoth acutissimo Prophetarum Isaiæ visus est,
Cœlestis generis regalem dignitatem,
Totius sacri cultus ac sacrificij Sanctuarium,
Divinorum holocaustorum atum spiritale thymiama,

Carbonis

Carbonis expiatoris forcipem,
Virgam Leviticam,
Radicem Ieſſe,
Sceptrum Davidicum,
Fictoris ſui matrem,
Altoris nutricem,
Orientis ex alto portam,
Omnia complectentis ſinum anguſtum,
Veſtem ſine macula ovis pariter ac paſtoris,
Mundiſſimum vellus cæleſtis roris,
Terram virgineam inſtauratoris Adæ,
Cælum ejus qui terram cælos fecit,

Idem quoq; ſuperiùs ſerm. de Annunc. eandem appellat:

Gaudij organum,
Magnificum divinæ gloriæ templum,
Regis palatium,
Thalamum in quo Chriſtus humanam ſibi naturam deſponſavit,
Divinam cum hominibus reconciliationem,
Vitæ immortalis theſaurum,
Cælum cælo altius,
Solis gloriæ domicilium.
Olei unctionis exultationem,
Spiritalium aromatum thymiama,
Florem incorruptionis,

Terram aromatum feracem,
Thecam vitam continentem,
Lucernam ſplendidam,
Purpuram divinitus textam,
Veſtem regiam,
Stolam divino opere variam,
Diploidem auream,
Spiritalis purpuræ verbi connexionem ineffabilem,
Diadema regni pontificiâ manu plenum,
Solium excelſum,
Portam cœlis cœlorum elevatiorem,
Reginam totius humani generis retinentem ſinceram nuncupationem cum uſu,
Vno excepto Deo rebus omnibus excelſiorem.

Hæreticos antedictos ſuperavit impijſſimus *Conſtantinus* ob fœdatum ſtercore fontem baptiſmalem *Copronymus* dictus *Conſtantinus* (ait *Suidas* in diction. litt. C.) *Imperator* Romanorum, Leonis Iconomachi Iſauri fuit filius: Nata eſt autem è Leone pardalis verſuta, è ſerpentino ſemine aſpis atrox & ſerpens volaticus, è Dan Antichriſtus. Hic paterni imperij pariter & impietatis ſucceſſor, libidinibus, dœmonum invocationibus, & alijs improbis

bis ſtudijs deditus atque vacans, eximium inſtrumentum & ſupra modum opportunum patris ſui & præceptoris extitit diaboli: eò vecordiæ ac veſaniæ redactus, ut lege ſancierit, ne quiſquam prorſus ſervorum Domini diceretur *Sanctus*, quin & eorum reliquiæ conſpuerentur, nec eorum interceſſio poſceretur: nihil enim eos poſſe. Deinde adjecit homo profanus, ne *MARIÆ* quidem interceſſionem quiſquã imploraret: neq; enim eam juvare quempiam poſſe. Cavit præterea ne eandem ullus nominaret *Deiparam*: ſumpto quippè in manus ſacculo auri pleno, & omnibus adſtantibus monſtrato, rogavit, quanti æſtimandus eſſet? Quibus reſpondentibus, maximi: ille rurſus effuſo auro interrogavit eoſdem, quanti æſtimandus eſſet ſacculus jam auro vacuus? Quibus reſpondentibus, nullius eſſe valoris: ſubintulit ipſe, *Ad eundem quoq; modum MARIA* (neq; enim miſer eam dignatus eſt *Deiparam* dicere) *quamdiu Chriſtum in utero geſtavit, honore digna extitit; poſtquam autem eum enixa eſt, nulla præ cæteris fœminis dignitate præſtat.* O audacem blaſphemiam Sara-

cenicæ Religionis, & Judaicæ perfidiæ! Atqui Venerem ille colebat, & humanas victimas ex adverso urbis immolabat, ubi Divæ Mauræ templum extiterat, quod ille solo æquatum, ac humanarum hostiarum cæde profanatum, in carnificinam convertit, ipsumque locum *Mauram* appellavit, in quo sacra illa sua peragebat, & pueros mactabat. Testimonio est Flavij puer, quem occultè ab eo immolatum DEUS patefecit.

Sed gravissima teste *Loerio* lib. 1. *MARIÆ* augustæ cap. 10. hunc *Constantinum Copronymum* mansit ultio, qui toto corpore fervidissimâ febri grassante inflammatus, & elephantiasi coopertus frendens ac desperans vociferabatur, *MARIÆ animadversione sese cruciabili ardore torqueri*: inque eo dolore æternis immergendum ignibus spiritum exhalavit. Cujus deinde cadaver cum sepultum esset imperante seu jubente *Michaele Theophili* filio exhumatum, & flammis injectum, in cineres resolvitur. *Cedrenus* deniq́ue de eodem differens in Annalibus: Animæ inquit & corporis mortem obijt, vociferans, atque dicens, *Se in-*

extin-

extinguibili igni traditum propter MARIAM: jubens eam exinde honorari ac celebrari verè *Deiparam.*

Nos igitur his contra *Eutichen, Valentinum, Cerdonem, Marcionem, Manichæum, Nestorium, Photinum, Constantinum Copronymum,* alioſque hæreticos dictis extollamus vocem cum Eccleſia Catholica, cujus hæc mulier typum geſſit, de qua jam ante dictum, extollamus & mentem de medio turbarum, dicamuſque ſalvatori: *Beatus venter qui te portavit & ubera quæ ſuxiſti.* Verè enim beata parens, quæ ſicut quidam ait:

Enixa eſt puerpera Regem,
Qui cœlum, terramq; regit in ſæcula.

CAPUT TERTIUM.

Encomium Marianum *Tertium.*

S. VIRGO VIRGINUM.

MAndarat olim Deus *Moyſi* (quemadmodum Exodi 24. videre licet) *Aſcende ad Dominum tu & Aaron, Nadab & Abiu, & ſeptuaginta ſenes ex Iſrael, & a-*

dorabitis procul : Ascenderuntque Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel, sub pedibus ejus quasi opus lapidis saphirini : & quasi cœlum cum serenum est. Petrus Galatinus in contemplatione loci hujus laudat hebræum Doctorem *Rabbi Haccados*, qui Messiæ matrem hic designari ait : *Hæc illa sedes Saphirina, quam Dei filius seipso implevit, neque in orbe simile opus est visum.* Mirabile & quodammodò inconceptibile hominem assumi ad dignitatem tantam ut efficiatur mater Dei mater creatoris & plasmatoris sui : Nec minus mirandum matrem effici & virginem inviolatam & intactam permanere. Doctor mellifluus hæc ipsa considerans & in tantæ novitatis consideratione hærens attonitus. *A sæculo* inquit *non est auditum ut aliqua simul mater esset & virgo.* serm. 1. super missus. Et alio item loco hæc ipsa considerans serm. 4. in Assumpt. *Ecce enim* inquit *si in ea* beatissima nimirum virgine *laudavero virginitatem, mihi multæ virgines post eam videntur offerri. Si humilitatem prædicavero, invenientur fortè vel pauci, qui docente filio ejus mites facti sunt & humiles corde, &c. Unum est in quo :* Nec

Nec primam similem visa est nec habere sequentem,
Gaudia matris habens cum virginitatis honore.

Optimam partem elegit sibi MARIA optimam planè: quia bona fœcunditas conjugalis: melior autem castitas virginalis: prorsus autem optima fœcunditas virginea, seu fœcunda virginitas: MARIÆ privilegium est non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea. Singulare sed continuò etiam indicibile invenitur, ut nemo assequi possit sic nec eloqui. Quid si & illud adijcias cujus mater? quæ jam poterit lingua etiamsi angelica sit dignis extollere laudibus virginem matrem, matrem autem non cuiuscumq; sed Dei. Duplex novitas, duplex prærogativa, duplex miraculum, sed digne prorsus aptissimeq; conveniens. Neq; filius alius virginem, nec Deum decuit partus alter. Sexaginta inquit Spiritus sanctus cœlestis sponsus in canticis cap. 6. sunt Reginæ, & octoginta concubinæ & adolescentularū non est numerus, sed una est columba mea perfecta mea una est matris suæ electa genitricis suæ. Vna est inquam & parem non habet, & hæc est beatissima Virgo, in qua scilicet virginitas & fœcun-

ditas seu maternitas obviaverunt sibi & conjuncta sunt : *Vna* ait (*Rupertus* Abbas Tuitiensis, commentans in hunc locum) *est & electa quia nec inter Angelos nec inter homines, vel primam habet vel sequentem habitura est*, & *Dionysius Carthusianus* super eadem verba *Vna est columba mea, &c. quantumlibet aliæ animæ virtuosæ, contemplativæ, pudicæ, dicuntur spirituales conjuges meæ, aut adspirantes ad perfectum complexum, tanta tamen ô benedictissima parens mea est eminentia tua in omni virtute, perfectione & proprietate laudanda, quod tu sola inter particulares personas es columba mea pudicissima, fœcundissima, gemitu pio summè repleta in sæculo isto ab omni felle alienissima. Et sicut comparatione tui nulla perfecta, quantumq; præclara & magna. Imo cæteræ cunctæ Reginæ sunt tuæ ancillæ.*

Excellentissima virtus inter alias est virginitas utpotè quæ hominem ex natura sua terrenis inhiantem voluptatibus, ex homine Angelum faciat, Angelisq; adæquet. In carne enim præter carnem vivere non humanæ sed Angelicæ est virtutis: attamen inter virginitatem Angelorum & hominum excellit virginitas beatissimæ matris,

matris, veluti sol inter planetas nihil cum ea commune habens prętersolum nomen: imò quodammodo cum excelsissima illa Sanctissimæ Triados virginitate bellum gerens, illiq; se quodammodo adæquans: nam quemadmodum in illa non obstante virginitate est fœcunditas, qua pater divinus ad intra ob summam naturæ divinæ fœcunditatem, producit generatque verbum seu filium suum: ita non obstante virginitate beatissima hæc virgo generat filium suum. Eximia proinde & superexcellens fuit beatissimæ matris virginitas: primo quidem quia exemplar & prototypon omnium aliarum virginum: *offerentur enim regi virgines* ut ait *Bernardus* serm. super signum magnum (*sed post eam nam primatum sola vendicat sibi* ipsa enim prima nullo habito exemplo, nullo viso præcessore Deo suam virginitatem vovit. Secundo quod ejus virginea fœcunditas & fœcunda virginitas ob singulare privilegium sanctitatis longè ante sanctis patribus cælitus repromissa, quod mysticis præfigurata miraculis, quod oraculis prænunciata propheticis. De quibus jam dicendum

per

per singula: prius tamen obstructâ hæreticorum blasphemâ linguâ qui virginem parere impossibile judicarunt.

§. 1.

QUemadmodum non defuerunt vasa blasphemiæ hæretici qui cælorum Augustæ summum illum maternitatis Dei honorem subripere conati, ita nec defuerunt qui eidem sacratissimæ matri virginitatis signaculum auferre gestierunt: inter quos non immerito primatum tenet impijssimus *Heluidius* alijque hæretici, qui negarunt beatissimam matrem post partum virginem permansisse, vel quia id supra naturæ cursum esse putaverunt, vel quia seducti malo intellectu verborum Evangelij: *Et non cognovit eam donec peperit filium suum primogenitum* Matth. 1. Et iterum *Et peperit filium suum primogenitum & pannis involvit ac reclinavit in præsepio.* Luc. 2. Ex quib⁹ sic arguunt ante citati hæretici, si non cognovit eam donec peperit filium suum, &c. Sequitur quod postmodum cognoverit ac proinde virginale signaculum amiserit: Et item si Christus fuerit *MARIÆ* primogenitus liquido infertur & eam habuisse secundo

cundo-genitos, ac ita postmodum virginalem castitatem perdidisse. Sed omnes hos sufficienter & sacra historia & rationes naturales evincunt quas postmodum è sanctis parribus adducemus. Et primos qui virginem post partum virginem permanere impossibile judicabant manifestissime refutat propheta *Isaias*, virginalem partum per modum maximi miraculi domui *David* proponentis; *Propter hoc* inquit *ipse Dominus dabit vobis signum Ecce virgo concipiet & pariet filiũ, &c.* Is. 7. in quo quęso quid miraculi fuisset si virgo concepisset non tamen post partum virgo inviolata permansisset: sed & aliorum hæreticorum argumenta jam adducta ante aliquot centenos annos refutavit noster *Ioannes Damascenus* lib. 4. fidei Orthod. cap. 15. *Quemadmodum autem ipse conceptus* ait *eam à qua conceptus fuerat virginem conservavit. Sic etiam in lucem editus virginitatem ipsius incolumem custodivit, ut qui duntaxat per eam transierit eamq; clausam tutatus sit*: Et paulò post: *Mansit ergò etiam à partu virgo illa semper virgo, ut quæ ad extremum usq; spiritum numquam cum viro consuetudinem habuerit.*

buerit. Quamvis enim scripturæ sacræ monumentis ita proditum sit. Et non cognovit eam donec peperit filium suum primogenitum: Sciendum tamen est primogenitum eum esse qui primus sit genitus etiamsi alioquin vnigenitus sit. Etenim primogeniti vox quidem primum aliquem genitum esse declarat, non tamen necessario alios quoque postea esse genitos indicat. Atque ita hæc particula donec ita præscripti temporis terminum significat, ut tamen sequens tempus haud quaquam excludat: Quonam enim modo ea quæ Deum genuerat atq; ex eorum quæ postea secuta erant, experimento miraculum cognoverat viri complexum admisisset? Absit hæc opinio, neq; enim cordati animi est hæc cogitare, nedum perpetrare.

Eandem hæresim diu ante quoque refutavit præsul Mediolanensis *Ambrosius* varijs in locis: Et primo quidem Epist. 79. ubi *sanè* inquit *negare non possumus de MARIAE filijs jure reprehensum meritòque vestram sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neq; enim elegisset Dominus IESVS nasci per virginem si eam judicasset tam incontinentem fore*

ut

ut illud genitale Dominici corporis, illam aulam Regis æterni concubitus humani semine coinquinaret: qui hoc enim astruit nihil aliud nisi perfidiam Iudæorum astruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex virgine. Nam si hanc accipiant à sacerdotibus authoritatem & videatur MARIA partus fudisse plurimos, majore studio veritatem fidei expugnare contendent. Et ubi est illud quod scriptum est dicente Domino ad matrem de Ioanne Evangelista: Mulier ecce filius tuus, & rursus ad Ioannem de MARIA: Ecce mater tua. Quid sibi istud vult quod cum in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronunciavit etiam de integritate materna. Aut quid aliud dicitur nisi ut claudat sua ora, perfidia obmutescat ne matrem Domini aliquo audeat temerare convitio. Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, quod desponsata fuerit tantummodo Ioseph, nulla tamen conjugalis coitus consuetudine thori jura violaverit.

§. 2.

VIrginem autem concipere, Virginemque parere non esse rationi naturali adversum sed consonum, idem *Ambrosius*, alio in loco disertis verbis scil.

Epist.

Epist. 81. *manifestat hæreticorum perfidiam pulcherrime convincens : De via* inquit *perversitatis produntur dicere : virgo concepit & non virgo generavit. Quæ potuit ergo virgo concipere, non potuit virgo generare cum semper conceptus præcedat, partus sequatur. Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum, dicentium, quia non est impossibile DEO omne verbum. Credatur symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana iteratum semper custodit & servat. Audivit MARIA vocem Angeli & quæ ante dixerat : Quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogans, respondit postea, Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Hæc est virgo quæ in utero concepit, virgo quæ peperit filium : Sic enim scriptum est Ecce virgo concipiet & pariet filium. Non enim concepturam tantummodo virginem, sed & parituram virginem dixit.* Et paulò post *possibilitatem hanc infestius declarans. Quid autem incredibile est* ait *si contra usum originis peperit MARIA & Virgo permanet, quando contra usum naturæ mare vidit & fugit, atq; in fontem suum Iordanis fluenta remearunt ? Non ergò excedit fidem*

quod

quod virgo peperit quando legimus quod Petra vomuit aquas, & in montis ſpeciem maris unda ſolidata eſt. Non ergò excedit fidem quod homo exiuit de virgine quando petra profluxit ſcaturivit ferrum ſuper aquas, ambulavit homo ſuper aquas. Ergò ſi hominem unda portavit, non potuit hominem virgo generare?

Quod autem nec partus virginalis naturæ repugnet, demonſtrant varia animalculorum genera, quę teſte *Plinio* ac pleriſq; ex ſanctis Patribus ſine concubitu concipiunt & pariunt. *Negantur enim vultures* (ut ait *Ambroſius indulgere concubitui & conjugali quodam uſu nuptialiſque copulæ ſorte miſceri atque ita ſine ullo maſculorum concipere ſemine & ſine conjunctione generare, natoſque ex his in multam ætatem longæ vitæ procedere ut uſque ad centum annos vitæ eorum ſeries producatur. Quid aiunt igitur qui noſtra ſolent ridere myſteria, cum audiunt quod virgo generavit & impoſſibilem innuptæ cujus pudorem nulla viri conſuetudo temeraſſet exiſtimant partum? Impoſſibile putatur in DEI matre quod in vulturibus poſſibile non negatur? Avis ſine maſculo parit & nullus refellit & quia deſponſata viro MARIA peperit pu-*

deris

doris ejus faciunt quæstionem? Nonne advertimus quod Dominus ex ipsa natura plurima exempla ante præmisit, quibus susceptæ incarnationis decorem probaret & astrueret veritatem. ita *Amb.* lib. 5. in Hexam. cap. 10.

Ruffinus in expositione symboli apud Hieron. tom. 4. virginalis partus possibilitatem probat ab Ave orientis quam phœnicem vocant, quæ sine ullo concubitu maris & fœminæ generatur: *Quid mirum* (inquit hic Doctor) *videtur si virgo conceperit cum orientis avem quam phœnicem vocant in tantum sine conjuge nasci vel renasci constet, ut semper una sit & semper sibi nascendo vel renascendo succedat? Apes certè nescire conjugia nec fœtus nixibus edere omnibus palam est.*

Ex eodem principio & fundamento probat eandem *Lactantius* lib. 4. cap. 12. in principio: *Quod si animalia quædam* [ait] *vento aut aura concipere solere omnibus notum est, cur quisquam mirum putet cum spiritu Dei, cui facile est quidquid velit, gravatam esse virginem dicimus? quod quidem incredibile posset videri nisi hoc futurum ante multa sæcula Prophetæ cecinissent.*

S. Augusti-

S. Augustinus virginis matris integritatem ostendit, à sole & radijs ejusdem ad quod alludunt Cantici verba.

Vt vitrum non læditur sole penetrante,
Sic illæsa creditur virgo post & ante.

Ait ergò is serm. 3. adventus tom. 10. *Solis radius specula penetrat & soliditatem ejus insensibili subtilitate pertransit & talis videtur extrinsecus qualis intra. Itaque nec cum ingreditur violat, nec cum egreditur dissipat, quia ad ingressum & regressum ejus speculum integrum perseverat. Speculum ergò non rumpit radius solis, integritatem virginis ingressus aut egressus numquid vitiare potuit Deitatis?*

Pulcherrime deniq; tam gentiles quam Judæos proprio quasi oris testimonio convincit *Cyrillus Hierosol.* catechesi 12. contra Judæos & gentiles pro virginitate Deiparæ decertans: *sed convincere nos*, inquit *student Iudæi & Græci & dicunt quod erat impossibile Deum nasci ex virgine. Græcis igitur primum ex ipsorummet fabulis os obstruamus. Qui enim dicitis projectos homines mutari quomodo virginem parere posse negatis? Qui ex Iovis cerebro natam filiam fabulamini quo-*

modo ex utero virginali nasci aliquem impossibile judicatis esse ? qui de femore vestri Iovis prognatum esse falso dicitis Bacchum ; Cur nostram veritatem reijcitis ? Iudæis vero occurrens perquire : utrum est difficilius senem & sterilem jam deficientibus muliebribus parere aut virginem generare ? sterilis erat Sara & deficientibus jam muliebribus præter naturam peperit. Igitur cum & sterilem & virginem parere sit præter naturam aut utrumq; nega aut utrumq; concede . Et adductis varijs comparationibus nimirum manus Moysis mutata in leprosam virga mutata in serpentem, &c. Paulò post ita prosequitur : *Eva ab initio de quo nata est ? quæ mater conceperat illam, quæ matrem non habuit ? Dicit enim scriptura, quod de latere facta est Adami. Numquid igitur Eva quidem de latere viri sine matre nascitur : de virginali autem utero sine viro nihil nascetur ?* Et paulò post : *Itaque ô indoctissimi Iudæi unde Adam factus est? nonne DEVS accepit pulverem terræ & creavit creaturam hanc admirandam ? Quid igitur lutum quidem in oculum mutatur & virgo non generabit ? Quod apud homines maxime est impossibile, numquid DEVS præstare non poterit*

terit ? *Hæc ille, sed jam ad figuras* S. Script. hujus virginalis fœcunditatis prototypa pergamus.

§. 3.

TOt hujus sacratissimæ virginitatis & virgineæ fœcunditatis in sacris litteris inveniuntur præfigurativa tot prototypa. ut ea ad longam enumerare labor esset importabilis tot inquam quot libri, imo quot ferè capita. Ex ijs pauca enumerare sufficiat.

Et primo quidem eam præfiguravit *Rubus* ille *Mosaicus*, qui ardere quidem à *Moyse* videbatur, nec tamen comburebatur sed illæsus persistebat : ita disertis *Origenes, sicut* inquit Hom. 1. ex 10. varijs tom. 3. *Quondam Rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebat, & sicut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium & quemadmodum. Danieli intra lacum leonum incluso claustris non apertis allatum est prandium ab Abacuc: ita hæc virgo sancta Deum genuit, sed intacta permansit,* Et Mellifluus *Bernardus quid* ait *Rubus ille Moysaicus protendebat flammas quidem emittens sed non ardens nisi* MARIAM

parientem & dolorem non sentientem adde nec virginitatem amittentem.

Secundo hanc juxta *S. Augustinum* virga Aaronis, quæ sicca flores emisit, præfiguravit. Inquit enim ille serm. 3. de Adventu tom. 10. *Virga ecce protulit quod ante non habuit non radicata plantatione, non defossa sarculo, non animata succo, nec fœcundata seminario, & tamen cum illic desint universa jura naturæ protulit virga, quod nec semine suggeri potuit nec radice. Virga ergò potuit contra naturam nuces producere, virgo non potuit contra naturæ jura filium Dei generare?* Et iterum *Bernardus* Hom. 2. super missus. *Quid rogo* ait *virga Aaron florida nec humectata nisi concipientem quamvis virum non cognoscentem præsignavit.*

Tertio eandem illæsam virginitatem præfiguravit campus ille, cujus se cælestis Sponsus filius ejus florem dicit: cum ait in canticis canticorum: *Ego Flos campi & lilium convallium. Campus* enim ut ait *Bernardus* serm. 2. in Adventu *sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo non defossus sarculo, non impinguatus fimo, sic omnino sic virginis alvus floruit: sic inviolata integra*

integra & casta MARIÆ viscera florem protulerunt.

Quarto eandem præsignavit porta clausa *Ezechielis 44.* ubi dicitur *porta hæc clausa erit, &c.* ita sentit *Ambrosius* : *Quæ est hæc* inquit *porta nisi MARIA ? ideo clausa quia virgo. Porta igitur MARIA, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu virginitatis claustra non solvit, sed inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex virgine cujus altitudinem mundus sustinere non posset.*

Denique eam præsignavit novum illud quod propheta Dominum facturum super terram prænunciavit *Novum* inquit *faciet Dominus super terram fœmina circumdabit virum. Non ab altero* (ait *Bernardus* serm. 3. in purific.) *virgo virum suscipiet non humana lege concipiet hominem sed inter viscera intacta & integra virum virgo claudet.*

Pari modo hanc fœcundam virginitatem præfigurant tot arborum aliarumque rerum creatarum species quibus hæc beatissima virgo aut seipsam aut à sponso cęlesti comparatur. Et primo quidem ipsa se

comparat Therebintho & viti Eccl. 24. *Ego* ait *quasi theribinthus extendi ramos meos: Et ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris* : Asserit autem *Theodoretus* in cantica Therebinthum quæ producit flores sine fructibus, antiquis virginitatis symbolum: Vitem autem quæ producit fructus, sine floribº, maternitatis symbolum fuisse. Quia ergo *MARIA* & Mater & Virgo futura & mansura erat hisce binis virginitatis & maternitatis symbolis comparatur. Sic & teste *Gregorio Nazianzeno* orat 11. in cant. puella significabatur aliqua si vestem purissimo auro intextam gestabat: fœmina autem noscebatur si gestaret vestem ornatam & varietatam ; utramque hanc vestem veluti maternitatis & virginitatis prototypon beatissimæ matri virgini adscribit & concedit psaltes Regius : *Astitit* inquit *Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate* Ps. 44. Deniq; cõparat eam cælestis Sponsus in canticis Malogranato *Emissiones tuæ* inquiens *paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*, cant. 4. De hac autem admirabili arbore referunt naturalistæ, quod dum producit fructus

fructus non dimittat nec reijciat à se flores quemadmodum aliæ arbores sed eosdem retinet, ut speciosam deinde ex ijsdem sibi efformet coronam qua plurimum ad ornatum est malum punicum. Ob hanc ergo causam Sponsus cælestis glorioſam Sponsam suam beatissimam Virginem quemadmodum malogranatum fructum productūram nimirum *IESVM Christum* nec tamen ideo florem virginitatis amissuram, quemadmodum aliæ virgines quæ dum fructū proferūt, florē virginitatis amittunt. Prædixit unde hanc excellentiam in beatissima virgine demirans exclamat: *O miraculum ingens! virgo mater sit & virgo permanet. In alijs fœminis quamdiu aliqua virgo est, Mater non est, cum autem mater facta fuerit, virginitatem non habet: Hic verò virginitas neq; partum prohibet, neq; partus virginitatem solvit*: Ita Doctor citatus in orat. de Nativ. Christi Domini. Cui consentiens *Hugo de S. Victore*, serm. 55. in expensione horum verborum: *Flores mei fructus honoris & honestatis. Hic fructus solus est* (nimirum *Christus*) *qui matris suæ florem non abstulit, sed conservavit ac venustavit.*

§. 4.

SEd jam tandem beatissimam hanc matrem & virginem ut virginum omnium primiceriam Dominam ac ductricem consideremus. Philosophorum axioma & pronunciatum est *primum in unoquoque genere est causa* (saltem *Exemplaris*) *eorum quæ sunt post in illo genere*. Beatissima virgo in ordine castitatis prima est, causaque exemplaris exemplar vivum & speculum omnium aliarum virginum Regina, & princeps tot Religiosorum & Religiosarum virginum, quæ prima vovendæ castitatis viam invenit votumque prima edidit, aliosq; omnes suis exemplis ad ipsum excitavit. *Missus est* inquit Evangelista *Angelus Gabriel ad virginem: virginem* inquit *Bernardus carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique & mente & corpore sanctam. Nec noviter nec fortuitu inventam, sed à sæculo electam, ab altissimo præcognitam & sibi præparatam, ab Angelis servatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promissam. Virginem* ut ait *D. Ambrosius quæ signum sacræ virginitatis extulit ex intemeratis virginibus pium Christi vexillum levavit*, ut rectissime eandem

dem S. Mater Ecclesia, & *virginum virginem* in Lætanijs Lauretanis : & *virginem singularem* in hymno Ave maris stella salutet : *Virgo* inquiens *singularis inter omnes mitis*, &c. Hæc ergo prima omnium virginitatem vovit ita S. *Augustinus* citatus à *D. Thoma* 3. parte quæst. 28. artic. 4. *Annuncianti Angelo MARIA respondit, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret, nisi prius se virginem Deo vovisset:* Sic & *Bernardus* super eadem verba *quomodo fiet istud*, &c. *non dubitat* inquit *de facto sed modum requirit & ordinem. Nec enim quærit an fiet istud sed quomodo? Quasi dicat: Cum sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei ut fiet istud? Si oportuerit me frangere votum ut pariam talem filium & gaudeo de filio & doleo de proposito. Fiat tamen voluntas ejus. Sin verò concipiam virgo & virgo pariam, quod utiq; si placuerit ei impossibile non erit, tunc scio verè quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Et sermone præcedenti beatissimam hanc virginem hoc modo alloquens, *Quid facies* ait *Virgo: si parturis angustiaris, si sterilis manes, male-*

nes, maledicteris. Quid eliges Virgo prudens? Eamque hoc modo respondentem introducit *Angustiæ* inquit *mihi sunt undique melius est tamen mihi maledictum incurrere & castam manere, quam prius quidem concipere per concupiscentiam quod merito post cum dolore parturiam. Hinc etenim etsi video maledictum sed non peccatum, & cruciatum. Deniq; hæc maledictio quid est quám hominum exprobatio? neq; ob aliud sane dicitur sterilis maledicta, nisi quod opprobrio & contemptui sit habenda, tamquam inutilis & infructuosa & hoc in Israel tantum. Mihi autem pro minimo est quod hominibus displiceo, dum me possim virginem castam exhibere Christo. O virgo prudens, ô virgo beata* (subjungit iterum *Bernardus*) *quis te docuit Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ justitia, quæ pagina veteris testamenti vel præcipit vel consulit vel hortatur in carne non carnaliter vivere, & in terris angelicam ducere vitam? ubi legeras de virginibus, quia cantant canticum novum quod nemo alius cantare potest & sequuntur agnum quocumq; jerit? ubi legeras laudatos esse qui se castraverunt propter regnum cælorum? ubi legeras de virginibus præceptum Domini*

mini non habeo ? Tu verò non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum: nisi quod unctio Dei doceat te de omnibus, ac sermo Dei vivus & efficax ante tibi factus est magister, quam filius : prius instruxerit mentem quam induerit carnem. Christo ergo devoves te exhibere virginem, & nescis quod ipse te optet exhiberi etiam matrem. Aperi virgo sinum, expande gremium, præpara uterum, quia ecce facturus est tibi magna qui potens est in tantum ut pro maledictione in Israel beatam te dicant omnes generationes. Nec suspectam habeas prudens virgo fœcunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies sed sine peccato. Gravida eris sed non gravata: Paries sed non cum tristitia : nescies virum & gignes filium. Et licet Doctor Angelicus arbitretur beatissimam virginem solùm voluisse castitatem & virginitatem stante matrimonio parte 3. quæst. 28. art. 4. his verbis : *Quia* inquit *tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres quam viros (quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur antea quam ex illo populo Christus nasceretur) mater Dei non creditur antequam desponsaretur Ioseph absolute virginitatem voviſſe : sed licet*

eam

eam in desiderio habuerit super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodum verò accepto sponso secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit : Licet inquam hæc Doctoris Angelici sententia probabilis sit; favorabilior tamen magisque in honorem Dominæ nostræ cadens est sententia quam amplectitur quidam Theologus Hispanus referente *Drexelio Petrus Morales* in cap. 1. Matth. lib. 2. tract. 6. eam nimirum ab instanti Conceptionis votum servandæ virginitatis emisisse : verba ejus sunt : *Beatissima virgo quæ à sua immaculatissima Conceptione usum rationis ad spiritualia habuit, non solum propositum virginitatis nec solum votum ante filij Conceptionem & ante matrimonium, sed etiam in ipso conceptionis instanti & in utero matris existens virginitatem suam voto explicito & absoluto Deo consecravit.* Ita tenent authores gravissimi contemplativi quos refert & approbat *Iacobus* Episcopus Christopolitanus : explicans verba illa cantici virginis : *Fecit mihi magna qui potens est. Dicunt ergo quod virgo illico post sanctificationem fecit votum perpetuæ virginitatis*

ginitatis in utero matris, quod postea per successionem temporis ostendit: Nam statim tertio anno tanquam virgo se ad Dei famulatum dedicavit, ad serviendum Deo in templo Domini. Hæc ille & addit rationem, *In conceptione enim sua, virgo Dei majestatem pulchritudinemque contemplans, ardentissimo amoris igne flagrans eum sibi unicum sponsum elegit perpetuæque virginitatis votum nuncupavit juxta* illud cant. cap. 2. *Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies & inclinentur umbræ id est usque ad vesperam mortis.*

Sed contra jam dicta quod nimirum beatissima virgo sit virginum primiceria exemplum primum, & speculum utpote quæ prima virginitatem voverit exurgit difficultas quoniam *Elias* & *Elisæus* juxta mentem plurimorum gravissimorum Doctorum virginitatem voverunt ut probat *Philippus à sanctissima Trinitate*, Tract. de Religione Disp. 6. Dub. 2. adducens varios sanctos Patres in hujus opinionis confirmationē: ergo beatissima virgo non fuit prima quæ virginitatem vovit cum illi sancti longo tempore beatissimam virginem præcesse-

præcesserint. & respondendum cum *Suarez* tom. 2. in 3. part. disp. 6. sect. 3. *Quod beata virgo perfectum votum virginitatis emiserit ad ejus perfectionem pertinet : Quod verò ante ipsam nullus hoc fecerit ad ejus commendationem non ad modum refert* : Deinde subdit ; *Dixi etiam potest prima quia proposita est tanquam Dux & exemplar hujusmodi voti, & hunc existimo esse sensum sanctorum Patrum* : Igitur beatissima virgo non fuit prima tempore sed ordine dignitatis eminentiæ & perfectionis in emittendo voto virginitatis ; Ipsaque fuit revelata & proposita *Eliæ* ut exemplar & dux virginitatis, ad cujus honorem & imitationem illam vovit *Elias* & *Elisæus* præceperuntque à suis discipulis voveri. Sed hic jam sistamus quia forte adhuc de materia loquendi amplior dabitur occasio in alijs encomijs Marianis.

CAPUT QUARTUM.

Encomium Marianum *Quartum.*

MATER CHRISTI.

COnsiderata jam pridem admirabilis Matris ac Dominæ in quantum DEI

Mater

Mater est excelleentiâ ac dignitate; superest ut pauca etiam de ejusdem dignitate in quantum mater est Christi differamus. Ad quam beatissima nos virgo invitans *egredimini* inquit *filiæ Sion & videte Regem Salomonem in Diademate quo coronavit eum Mater sua* : id est ut exponit *Dionysius Carthus. videte eum in assumpta humanitate præclarissime decoratâ regiâ sacer dotali & judiciariâ potestate magnificè sublimata quam assumpsit ex me, atque in glorificatione humanitatis ejusdem quam glorificationem à me matre suâ accepit in quantumf vi occasio medium ac subjectum ex quo suæ incarnationis & ministratrix substantiæ suæ humanationis : per quam exaltationem & glorificationem corporis sui accidentale præmium meruit & accepit.* Dignitas ergo beatissimæ virginis in quantumest mater Chisti licet comparata ad excellentiam quam habet ut Mater DEI exigua sit: numquã que ad illam pertingere possit, cum illa sit infinita ut dictum est, hęc autem finita : finitum autem ad infinitum nulla sit proportio, in se tamen excellens valdè est: Et quæso nonne magna imo maxima dignitas est matrem esse primogeniti

ex

ex mortuis, primogeniti inter omnes creaturas, Creatoris & Conditoris vniversorũ? nonne maxima & ineffabilis quodammodo est dignitas è sacris suis sanguinibus materiam spiritui sancto præbere efformandi corpusculi Filio Dei æterni? Denique nonne maxima dignitas censenda est virgineo lacte & ubere illum alere & enutrire *Per quem nec ales esurit?* illum, *qui dat jumentis escam ipsorũ & pullis corvorum eum invocantibus? Oportuit profectò* (ut bene ait *Dion. Carthus.* cap. in cant.) *innocentissimum benedictissimæ virginis incomparabiliter sobriæ, castæ ac virtuosissimæ sacrosanctum corpusculum, Deificataque ubera suavissimo fragrasse odore, præsertim cum tam prædominans virtus ac puritas animæ soleat redundare ac apparere in corpore.* Et iterum cap. 4. Expendens hæc verba cantici canticorum sponsi cælestis ad sponsam: *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa. Speciosissimæ utique erant mammæ illæ internæ virginis admirandæ. Dilectio Dei charitas proximorum, &c. Corporea quoque spiritualissimæ virginis ubera quæ regem gloriæ lactaverunt, Deo verò alimoniam præbuerunt, fonti totius boni*

lac pu-

lac puriſſimum influxerunt, ſpecioſiſſima, ſuaviſſima, honorabiliſſima, amabiliſſima facta ſunt & miro modo Deificata, ipſiſque angelicis mentibus honoranda.

§. I.

PUlcherrimè autem hujus dignitatis excellentiam depingit in viſione ſua Apocaliptica dilectiſſim° Chriſto-diſcipulus Virginis Matris à crucifixo filius & cuſtos deputatus *S. Ioannes*, aſſerens ſe vidiſſe *MARIAM* Virginem totam ſole veſtitam, luna calceatam & ſtellis coronatam : *Signum* inquit *magnum apparuit in cælo Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus : Et in capite ejus Corona ſtellarum duodecim.* Apoc. 12. Miratur quidem Doctor mellifluus quomodo poſſit fieri mulierẽ ſole veſtiri & non aduri. *Quomodo* inquit *in tanto fervore tam fragilis natura ſubſiſtat.* ſerm. ſup. ſign. mag. *non eſt Mulieris potentia ut ſuſtineat ſolis amictum.* Meritò quidem hoc ipſum mirabatur *Bernardus* : At magis mirandum mihi videtur quod inquit Evangeliſta ſe vidiſſe eandem ſtellis coronatam & ſole amictam, hæc enim cum philoſophia & ipſa experientia repugnant : Si dixiſſet ſolùm ſe vi-

disse eam sole vestitam fides adhiberi poterat: jam verò quia utrumq; asserit incredibile videtur, experientia enim docemur stellas numquam lucere nisi tantum noctibus subtracto nimirum sole ab horisonte nostro. At quamprimum redit ad eundem lucidissimus ille planeta statim, abscondunt decorem suum stellæ, majore lumine minus obfuscante: unde quidam excellentissimi ingenij pro emblemate posuit solem & stellas addito, *non cernuntur & adsunt*, insinuare volens sole per diem lucente stellas adesse quidem non tamen cerni à nobis, quia sint sine luce & splendore. Quomodo ergo stare poterit *S. Ioannem* vidisse beatissimam virginem sole vestitam & stellis coronatam. *S. Isidorus Pelusiota*, lib. 3. Epist. 351. explicans locum Apostoli 1. Cor. cap. 15. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum*, inquit per dictam lucem solis sive claritatem intelligi donum virginitatis, per claritatem & lucem lunæ donum continentiæ, denique per claritatem & lucem stellarum donum maternitatis. Intendebat ergò dicere sanctus Apostolus: venite & videte mirandum

randum & ſpectandũ myſterium, cui ſimile numquam vidiſtis: ſignum magnum apparuit in cælo & eſt tale *MARIA* virgo, permanens virgo parturijt infantem, facta eſt mater Chriſti: ſol virginitatis & ſtellæ maternitatis in eadem ſunt ſimul unitæ & conjunctæ, & ideo amicta eſt ſole & in capite ejus corona ſtellarum duodecim: Et hæc omnia excellenter declarat *S. Iſidorus* jam citatus his verbis: *Cum igitur matres ſtellis ſignificentur virgines ſole, non eſt mirum MARIAM hæc omnia habuiſſe quia & mater exſtitit & virgo.*

Mater ſecundum *Iſidorum* dicitur quaſi mammam tribuens pro fœtu nutriendo. Mater enim dum fœtus eſt in utero ipſum nutrit proprio ſanguine. Poſtquam autem de utero exierit ipſum alit & nutrit proprio lacte: Sanguis enim poſt partum ad mammillas mittitur ibiq; in lactis ſubſtantiam commutatur. Unde infantulus multò laudabilius propriæ lacte matris quam alienæ nutritur & alitur. Mater ergò fœtum ſuum miro modo diligit, ipſum amplectitur, oſculatur, lactat, balneat, cuſtodit atque nutrit. Hæc eadem ſi ulli unquam

matri respectu filij sui uterini, excellentissime Virgini Matri convenerunt: quæ multò majori jure appellanda est mater Christi, quam quævis alia mater sui filij: Alij enim filij ex concursu patris & matris generantur, unde præter matrem habent & patrem; At filius beatissimæ virginis non ita, ille enim sicut ab æterno est genitus à patre sine concursu matris, sic in tempore est genitus à matre sine concursu patris; sola enim beatissima mater & virgo totã materiam tribuit scilicet purissimum & virgineum suum sanguinem, ex quo, ope spiritus sancti efformatum est virginei filij corpusculum. Ac ita hic virgineus filius totus est virginis matris nullo viri concurrente semine sed solo spiritu sancto fœcundante, huncque virgineum filiolum virgo mater sicut & aliæ matres prius proprio purissimo virgineoque sanguine (dum scilicet adhuc esset in utero) postmodum autem proprio lacte ac virgineis uberibus enutrivit : Nec fecit beatissima mater quemadmodum multæ aliæ matres facere consueverunt, quæ proles suas post partum alijs nutricibus lactandas tradunt, sed proprio eumlacte pavit ac educavit.

Mirantur nonnumquam matres, unde contingat proles ita sibi, ac parentibus esse degeneres: luxuriosas, iracundas, &c. Nec difficile est hujus invenire causam si attendatur quali & quarum lacte educentur: frequenter enim solent parentes suas recèns natas proles nutricibus variarum passionum & vitiorum mancipijs educandas tradere, sicque vitia cum lacte sugunt cum notum sit medicorum axioma: quod *filij matrizent*, quia matrum qualitates cum lacte sugant. Et hæc experientia probari possunt. Experimur quod si tenellus hædulus enutriatur à capra tenera & delicata, delicatus tener & mitis ipse vadit, si verò pendet ab ubere, capræ agrestis & ferinæ hispidus indomitus & ferus ipse efficitur. Et hanc ob causam refertur *Romulum & Remum* fuisse proclives ad rapinas, latrocinia & homicidia, eò quòd talia inbibissent vitia, à lupa cujus lacte fuerant educati. Sic & *Agis* Rex, velocissimus fuisse traditur, lacte cervæ hoc causante, cujus lac infans suxerat. *Æneas* etiam fuit visus *Didoni* crudelis & ferox, quod non nisi lacti tigridis suę olim nutricis attribuendum est:

ſuæ olim nutricis attribuendum eſt : Sic denique Caligula humanum ſemper dicitur ſitijſſe ſanguinem, cujus cauſa eſt quod infans lac mixtum ſanguine biberit. Hanc ergò ob cauſam virginea mater ſuum filiolum proprio lacte fovit & educavit, cum enim hic filiolus ſit totus Virginis Matris, oportuit eum ſuæ matri eſſe ſimillimum: Sic fatentur qui & matris, & filij imagines ad vivum viderunt, aſſeruntque numquam ſic fuiſſe Matri filium ſimillimum vultu, moribus, verbis & habitu. Illa humilis, & ille humilis : Illa manſueta, ille manſuetus, illa benigna, ille benignus, illa pauper, ille pauperrimus : Illa puriſſima, prudentiſſima, &c. Ille puriſſimus, prudentiſſimus, &c. Denique in omnibus mater nihil fuit, niſi filij adumbrata imago; & viciſſim filius fuit virginis matris expreſſa figura. Ut quemadmodum in divinis qualis pater talis filius, ita in terra qualis mater talis filius. Teſtatur hoc ipſum per os patientiſſimi Prophetæ *Iob* ſalvator noſter inquiens *ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum Iob. 31.* Si cauſam iſtius inveſtigemus fortè aliam

non

non reperiemus, quàm quod hanc miserationem à matre misericordiæ didicerit, & cum lacte ejus insuxerit. Cur enim in veteri testamento ille idem Deus tam ferus quodammodo severus & implacabilis vibrans fulmina, excitans tonitrua, evertens & civitates & regna? nimirum quia enutritus à justitia, cujus lacte tantoperè ad justitiam propendens. Ast in fine sæculorum in tempore natus, quia aliam habuit nutricem, alias etiam suxit qualitates, hinc est quod offensus non defendat se, illusus, sputis defœdatus, spinis coronatus, & flagellatus, non lamentetur: Occisus denique non vindicet, sed & pro occisoribus veniam & misericordiam exoret. *Richardus de S. Victore*, part. 2. in cant. cap. 23. beatissimam alloquens virginem: *Carnalia* inquit *in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluerent. In te ergò concrevit lac divinæ misericordiæ & ex te nobis profluxit ipsa prius repleta es, & ex te nobis descendit abundantia.*

§. 2.

ET quid tandem dicemus de amore illo, quo hæc sanctissima mater dilexit hunc virgineum filiolum suum. Mirus est

rus est amor quo matres solent diligere filios suos, hinc si amorem ipsum depingere velint pictores, matrem pingunt cum suo filiolo ludentem eum amplectentem, &c. solet enim mater congaudere filio suo gaudenti, compati illi dolenti, & patienti, sublevare cadentem, lactare plorantem, deosculari tacentem, abluere & mundificare se sordidantem, pascere digito puerum renitentem, cibum primo masticare ut transglutiat cibum ipsum & sic reficere esurientem, ad loquendum instruere nescientem, cantibus & sibilis demulcere dormientem, & unguentis refovere indigentem. Non dubium quin hæc omnia obsequia diligentissimè quoque filio suo exhibuerit beatissima Mater & Virgo & tantò ampliùs, quantò melius noverat qualis quantusque esset ille, qui suus dignatus fuerat fieri filius. Et inter omnia quàm maximè inessabilibus osculis sanctissimum illud os in quo dolus non est invent⁹ deosculata fuerit; non unius osculi suavitate contenta, sed ea incessanter repetere gaudens: ut benè notavit in illa verba Canticorum *Ambrosius: osculetur me osculo oris*

lo oris sui sic inquiens: *Non unum osculum quærit sed plura, ut desiderium suum posset explere, qui enim diligit non est unius osculi suavitate contentus, sed plura exigit, plura vendicat.* Sed ipsiusmet amantissimæ matris verba queis suum explicat amorem audiamus: Abbas Igniacensis *Guerricus* sermone in Assumpt. postquam induxisset Angelos beatissimam matrem jam decumbentem & brevi à corpore migraturam, & quid sibi suo vulneri vellet adhibere rogantes: mox subjungit beatissimam matrem in hunc modum respondentem: *Sodales inquit estis sponsi Gabriel iste meus paranimphus non puto vobis celandum amoris mysterium. Dicam igitur tantum ne judicer temeraria quod majora me quærere videar. Osculetur me osculo oris sui. Si quid mihi conscia esssem contenta essem cum Maria Magdalena osculo pedum ubi indulgentia sumitur delictorum, sed quia in omni vita mea non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris gratiam, gaudiorum. Cur autem arrogans videar si illud os mihi reposco, quod de me sibi formavit ipse conditus & conditor? Cum parvulum tenebam inter brachia, quoties osculari speciosum*

cioſum forma præ filijs hominum libebat, ſatis licebat, numquam faciem avertebat, numquam matrem repellebat. Et ſi fortè impatientia deſiderij eram nimiâ, ipſe tamen more ſuo morem matri gerebat. Gaudebat eam replere gratiâ quæ diffuſa erat in labijs ejus, & dulcedine quâ totus plenus erat, totus concupiſcentia & deſiderium caſtarum ſcilicet animarum. Vnde ſicut ipſe de ſe confitetur. Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient: quantò gratiam oris illius guſtavi ſuavius, tantò nimirum repeto nunc ardentius. Ex quib⁹ profectò licet colligere hujus diviniſſimę matris erga filiolum ſuum amorem ut non immeritò per ſapientem Eccl. 24. dixerit ſe eſſe *matrem pulchræ dilectionis, &c.* Sed jam ad alia properemus.

CAPUT QUINTUM.

Encomium Marianum *Quintum.*

MATER DIVINÆ GRATIÆ.

INter alias prærogativas quas dulciſſimo nomini *MARIÆ* ſupra convenire diximus, hæc una erat quod ipſum quinq; ſignificatio-

gnificationes habeat: Inter quinque has una est quod significet Mare, hinc si secundam in nomine *MARIÆ* corripias & abbrevies maria significantur. Est autem mare juxta *Berchorium* lib. 8. Reductorij sui moralis, *congregatio & locus omnium aquarum, tam dulcium quam amararum* conformiter ad verba *Geneſis, congregationes aquarum appellavit maria.* Et quamquam mare omnium fluviorum fontium & aquarum multitudinem recipiat numquam tamen impletur aut redundat juxta illud Eccl. 1. *Omnia flumina intrant in mare & tamen mare non redundat.* Et hujus rei causas assignat *Isidorus* lib. 13. *vel quia propter suam magnitudinem aquas ibi influentes non sentiat, vel quia aquæ ejus amaræ aquas alias dulces influentes consumat vel quia ipsa concavitas nubium multam aquositatem ad se attrahat, &c.* Attendamus jam mare illud mysticum virginem glorioſam, profectò est receptaculum & locus omnium fluviorum, fontium, aquas gratiæ divinæ in se recipiens nimirum quia tanta est ejus capacitas, dignitas & latitudo, ut similis illi inveniri nequeat. Hanc ejus capacitatem

divina

divinarumque gratiarum affluentiam declarare cupiens nuntius cælitus missus Archangelus *Gabriel*, *Ave* inquit *gratia plena* super hæc verba *D. Ambrosius* (lib. 2. in Luc. cap. 2. in tom. 5.) *bene* inquit *gratia plena sola dicitur quæ sola gratiam, quam alia nulla meruerat consecuta est ut gratiæ repleretur authore.* Et S. *Hieronymus* Epist. 140. tom. 3. ad *Principiam* virginem *Sancta MARIA* ait *quia conceperat eum in quo omnis plenitudo Divinitatis habitat corporaliter plena gratia salutatur.* Et *Eusebius Emisenus* in Evang. Lucæ de Angelica salutatione & Annunciatione. *Quis* ait *unquam tantam gratiam habuit quantam MARIA virgo? Alijs enim ad mensuram datur, hæc autem gratia plena dicitur.* Et denique *Gregorius Neocæsariensis*, serm. de Annunt. virginis: *Gratia* inquit *plena, quia cum hac totus thesaurus gratiæ repositus erat. Ex omnibus enim generationibus hæc sola virgo sancta corpore & spiritu fuit: Sola fert eum qui verbo portat omnia.*

Hanc divinæ gratiæ plenitudinem sacræ scripturæ verbis declarans, ipsamet beatissima Mater viti se comparat inquiens Eccles. 24. *Ego quasi vitis fructificavi suavita-*

suavitatem odoris. Notant autem tum naturaliſtæ, tum SS. Patres hanc inter vitem aliaſque plantas & arbores differentiam inveniri, quod vitis non habeat ſuæ magnitudinis & excreſcentiæ terminum: Aliæ enim arbores creſcunt in determinata quantitate: Oliva tantam attingit quantitatem, & non majorem: Cypreſſus tantum creſcit, & non ampliùs, Platanus tantum, & non ampliùs, & ſic de alijs arboribus: Sola vitis uti experientia docente comperimus, non haber tam determinatam creſcendi quantitatem: ſed tantum & ultra creſcere poteſt ſecundum quod ipſi majus vel minus apponitur fulcimentum, hinc ſecundum majorem vel minorem diverſitatem, major vel minor eſt vitis. Beatiſſima Mater ergo ſe viti comparavit ut affluentiam divinarum gratiarum & plenitudinem manifeſtaret, nam ſuſtentaculum hujus vitis eſt Deus, quod eſt prorſus infinitum: Quamobrem *Ambroſius* explicans prærogativas hujus beatiſſimæ matris & abundantiam divinorum chariſmatum ejus, admiratur una cum Angelis: *Quæ eſt iſta* inquiens *quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens*

affluens innixa super dilectum suum cant. 8. ejus loco legit ipse: *Quæ est ista quæ ascendit sicut vitis propago innixa super dilectum suum: Bernardus* considerans verba Angeli ad beatam virginem: *Ne timeas MARIA invenisti gratiam apud Dominum : quantam gratiam?* Quærit: & respondet *gratiam plenam, gratiam singularem. Singularem an generalem? utramq; sine dubio, quia plenam & eo singularem quo generalem , ipsa enim generalem singulariter accepisti. Eò inquam singularem quò generalem, nam sola præ omnibus gratiam invenisti. Singularem quod sola hanc invenieris plenitudinem : generalem quod de ipsa plenitudine accipiant universi.*

§. 1.

VArias autem causas & rationes tantæ divinarum gratiarum affluentiæ plenitudinis & redundantiæ in beatissima hac virgine assignant SS. Patres. Primam hujus rationem & causam assignat Doctor Angelicus 3. cap. quæst. 27. artic. 5. quia *quanto aliquid magis appropinquat primo principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum & influxum illius principij: sicut qui magis accedit ad ignem magis calefit, & qui magis appro-*

appropinquat ad solem magis illuminatur, quia nimirum ignis caloris, & sol luminis principia sunt; ergò quò magis quis divinæ accesserit majestati, tanto magis ejus sanctitatem & gratiam consequenter debet participare. Ipsa enim est primum & essentiale sanctitatis & gratiæ principium, sicut Christus secundum divinitatem quidem authoritative secundum humanitatem verò instrumentaliter est gratiæ principium juxta illud Ioan. 1. Gratia & veritas per IESVM Christum facta est: Dicit autem Dionysius libro de cæsti Hierarch. cap. 4. quod Angeli qui sunt DEO propinquiores (dignitate scilicet) quam homines, magis participant de bonitatibus divinis quam homines: beatissima autem Virgo MARIA ut prosequitur Doctor Angelicus *propinquissima fuit Christo secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, imo tanta est MARIÆ ad Christum propinquitas ut sint quodammodo una caro juxta illud S. Augustini, Caro Christi, Caro MARIÆ.* Et ideò præ cæteris majorem debuit à Christo obtinere gratiæ plenitudinem. Hanc ob causam *D. Hieron.* explicans illud *Luc. 1. Ave gratia plena: Bene* inquit *plena, quia cæteris per partes præstatur,*

MARIÆ

MARIÆ vero se totam simul infudit gratiæ plenitudo. Ac si manifeste dicat: secundum quod est mater Dei plene appropinquat Deo fonti gratiæ & hinc plenitudinem gratiæ obtinere debebat.

Ad majorem hujus elucidationem conducit Regula, quam pro explicatione plenitudinis gratiæ quæ fuit in Bm̃a matre. *Alph.* refert *Salmeron. In corpore* inquit *Christi mystico Christus locum capitis habet: omnes autem fideles rationem membrorum inter caput autem & membra intercedit collum, & cum cætera membra de more tegantur & quò nobiliora sunt eó majori honore circumdantur: Solum tamen caput cũ facie quæ in eo sita est & collum minime teguntur sed nuda & aperta manent: ad hunc sanè modum Christus qui caput est & MARIA quæ collum est in corpore mystico, utpotè propinquissima primo principio Christo ut dictum est veste operiente non egent: quia cum cæteri homines peccato tum originali tum personali sunt maculati, solus Christus cum matre sua ab omni prorsus criminis labe alieni gratiaq; pleni inveniuntur, ita ut nudi per se placeant Deo & Angelis ejus.* Deinde aptissime per collum reprensatur beatissima Virgo: Nam

go: Nam quemadmodum in collo monilia gemmę torques ac pretiosi lapides appenduntur, ita Christus in *MARIA* matre sua & sponsa omnia dona gratiarum, omnes virtutes, omnesque perfectiones reposuit: de ipsa namque illud canticorum intelligi potest, *sicut turris David collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent, ex ea omnis armatura fortium*, quia omnes virtutes, quæ in virgine excelluerunt, fortissima sunt propugnacula ad omnia tela inimici mundi & carnis propulsanda. Ulteriùs bene comparatur beatissima mater collo, quia omnis virtus capitis sensui & motui corpori serviens, cibusque ipse quo vitam tuetur medio collo in corporis membra descendunt: sed & omnes membrorum fumi, vapores & spiritus ad caput minimè ascendunt, nisi medio collo: eadem ratione universarum gratiarum dona & beneficia non nisi per *MARIAM* Virginem mediam ad nos descendunt; Nam summum ac potissimum Dei donum quod est ipse Christus, non nisi per illam nobis donatum est. Ut sic intelligamus & alia bona inferiora per ipsam ad nos descende-

re juxta quod ait *Bernardus quidquid habemus voluit nos habere per MARIAM.* Ipsa namque est collum & organum, quod mediat inter nos tanquam membra & Christum ut caput nostrum, ut proinde omnia per ipsam transire debeant: ita *Bernardus Altius* inquit *intueamini quantò devotionis affectu eam á nobis voluerit honòrari, qui totius boni plenitudinem posuit in MARIA ut proinde si quid spei si quid salutis ab ea noverimus redundare quæ ascendit delicijs affluens.*

§. 2.

SEcundam causam hujus plenitudinis, & abundantiæ gratiarum adducit *Laurentius Iustinianus*, serm. de Nativit. Virginis: eò scilicet quod Deus tantò majorem conferre dignoscitur gratiam, & excellentiora dona quantò plus diligit: sicuti & Imperatores & Reges tantò majora bona tantò majores divitias, favores & honores solent conferre alicui, quantò eum magis diligunt; Amor enim est communicativus & liberalis: operatur magna, si magnus est; *si enim renuit operari, amor non est*, uti ait S. *Gregorius*: Et quia ut ait *Dionysius Carthus. Amare est alteri bonum velle*, quantum autem

tem Christus ex alijs creaturis Matrem suam diligebat, quis sermone explicare queat? quis explicare valeat amorem, quo talis filius talem matrem amabat, matrem verè amabilem, & super omnes creaturas pulcherrimam? *Plus* ait jam citatus *Laurentius Iustin. filius Dei matrem in instanti suæ Conceptionis dilexit, quam ullum Angelum vel ullum hominem:* Consequens ergò fuit ut tanto amori & dilectioni proportionatus & conformis responderet effectus & gratia, ipsaque majorem haberet gratiam quam ullus Angelus vel homo; Imò quidquid gratiæ alijs Sanctis, vel viris, vel fœminis legimus esse concessum, id totum nobilius ac eminentius virgini matri concessum esse, asserendum est. Quædam etiam quæ nulli alteri competunt, modo constet Deum posse & decere donare atq; illam posse accipere, dedisse ne dubites: nimirum *multæ filiæ congregaverunt divitias, hæc supergressa est universas, sexaginta sunt Reginæ, octoginta concubinæ & adolescentularum non est numerus. Una tamen est columba mea* (ait cælestis sponsus in canticis cap. 6.) *perfecta mea una est matri suæ electa genitrici suæ:*

Viderunt eam filiæ Sion & beatissimam prædicaverunt : Reginæ & concubinæ & laudaverunt eam. Deus siquidem universi conditor & nobilissimus pictor quidquid pulchrum, quidquid laude dignum, quidquid gratiæ singularis in alijs sive viris, sive fœminis elucebat, in una sanctissima virgine sapientissimè effinxit, & quasi pictura quadam pulcherrima reddidit. *Cæteris per partes gratia præstatur* inquit *D. Hieronymus, MARIÆ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ.* Idem docet *Ioannes Damasc. quemadmodum* inquiens *vetus Anna sterilis facta per votum & repromissionem habuit Samuelem, hunc in modum & hæc* (loquitur de *S. Anna* uxore *Ioachim* & virginis matre) *per supplicationem & repromissionem à Deo Deiparam profert ut & in hoc nulli illustrium fœminarum & glorioſarum posterior habeatur. Ex quibus verbis* ait *Salmeron habes beatissimam virginem non illustrium fœminarum posthabendam, sed quidquid illis legimus fuisse concessum id statim eminentiori modo beatissimæ virgini donatum intelligamus.*

§. 3.

§. 3.

AD confirmationem eorum quæ dicta sunt apprime inseruit & convenit, id quod legitur in theatro vitæ humanæ. Quod nimirum coram Rege Angliæ vice quadam celebrata fuerint comitia generalia in quibus cuncti totius regni comparuerunt Principes & Duces, quorum quilibet in proprio scuto depicta gerebat insignia, pulchra & splendida singulorum exprimentia virtutes & gesta heroica. Alius myrrham depictam gerebat, quâ suam in ferendis adversis & tribulationibus constantiam & fortitudinem. Alius storacem, cujus optimus est odor, ut suam famam integerrimam & undique bene redolentem ostenderet. Tertius comparebat scuto suo balsamum inpictum gerens, ut quemadmodum balsamum sese diffundit ex arbore Cinnamomo, ex hoc ille suam in egenos liberalitatem monstraret. Quartus aquilam gerebat, ex hoc magnitudinem suæ prosapiæ significare intendens & generositatem, ut sicut aquila non capit muscas, & vilia animalcula, sic nec ipse curaret viles & debiles, sed fortes hostes ge-

neroso animo invaderet & debellaret. Alij denique alias suarum virtutum figuras in insigni depictas gerebant. At inter alios tandem prodijt generosus & heroicus quidam princeps, qui omnia aliorum insignia suo uni inscripta gerebat: scutum enim ejus & myrrham & storacem balsamum aquilam, &c. præferebat, cum adjunctis hisce verbis: *In me omnia.* A profana ad sacram si placet transeamus historiam. Videte mihi jam non unius exigui terreni sed cælestis Regis cæli terræque conditoris & Monarchæ permagnificum ac celeberrimum aulicorum conventum, de quo *Daniel*, cap. 7. ℣. 9. *Ecce* inquit *throni positi sunt & antiquus dierum sedit vestimentum ejus sicut nix candidum, & pilus capitis ejus ut lana munda: thronus ejus flammæ ignis, rotæ illius ignis ardens: fluvius igneus procedebat, egrediebatur à conspectu ejus, millia millium ministrabant ei: & decies millies, centena millia assistebant ei.* Inter hos inquam ministros & cælestes aulicos primo loco comparent Apostoli galbanum pro insigni gestantes propter gloriosissimam victoriam de inimicis suis reportatam. Comparent secundo

cundo loco invicti Christi pugiles & martyres myrrham constantiæ in tormentis & supplicijs insigni suo præferentes : Comparent tertio tot glorioſi Confessores & Pontifices balsamum summæ liberalitatis quâ omnia pauperibus erogarunt, symbolum præferentes. Comparent sanctissimæ virgines rosam virginitatis symbolum monstrantes. Comparent denique alij tum Cherubim, Seraphim, Throni, Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, alia symbola intuentium oculis obijcientes. At post omnes hos procedit Augustissima cælorum Imperatrix, tota splendidissima, pulchra ut luna, electa ut sol, nec unum tantum ex prætactis, sed omnia & singula, insigni suo depicta præfert : proprio id ipsamet ore confitetur totiq; mundo declarat Ecc. 24. *ego* inquit *quasi cedrus exaltata sum in Libano, quasi oliva speciosa in campis, & quasi plantatio rosæ in Iericho : Sicut Cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi. Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris: quasi storax & galbanus & quasi balsamum non mixtum odor meus.* Et quia omnia sua dona & virtutes heroicas nec ipsamet explicare suffi-

cit subjungit tandem : *In me omnis gratia vitæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis*, Eccl. 24. v. 25. Summa sive ut unico verbo complectar : *In me omnia* ut congruentissime dixerit mellifluus *Bernardus* serm. 4. super *Salve Regina* : *Nihil est virtutis quod in te non resplendeat, & quidquid singuli habuere sancti, tu sola possedisti*. *Ipsa etenim est dignior Evâ, doctior Maria sorore Moysi, verecundior Sara, amabilior Rebecca, fœcundior Lya, Rachele pulchrior, Abigail prudentior, major Regina Saba, fortior Iudith, gratiosior Hester, castior Susanna, diligentior Sunamitide, hospitalior vidua Sarephtana, sanctior Anna quæ perpetuo orabat in templo, humilior Chananæa, officiosior Martha : Contemplationi & audiendo verbo Dei magis intenta, quam Maria soror Marthæ. Ipsa vincit Angelos puritate, Prophetas sanctitate, Apostolos dignitate, Martyres constantiâ, Doctores sapientiâ Confessores abstinentiâ, Virgines pudicitiâ, Religiosos humilitate & obedientiâ:* Unde *Bernardus* serm. super verba Apocal. *Signum magnum explicans verba in plenitudine sanctorum detentio mea*. Benè inquit *in plenitudine sanctorum MARIÆ detentio fuit,*

fuit, cui non defuit fides Patriarcharum, ſpes Prophetarum, zelus Apoſtolorum, conſtantia Martyrum, ſobrietas Confeſſorum, caſtitas Virginum, fœcunditas conjugatorum, inſuper & puritas Angelorum. Denique alij ſunt nobiles, alij divites, alij docti, alij fortes, alij prudentes, alij caſti, atq; alij alias virtutes habent, hæc complectitur univerſas.

§. 4.

TErtio probatur hæc plenitudo gratiæ in beatiſſima matre ratione quam adducit *D. Thomas* parte 3. quæſt. 27. artic. 5. ad 1. *Quia unicuiq; datur gratia ſecundū id, ad quod eligitur: unde infert, quod quia Chriſtus Dominus in quantum homo ad hoc fuit prædeſtinatus & electus, ut eſſet filius Dei ſecundum illud Apoſtoli, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute nimirum ſanctificandi, hoc fuit ſibi proprium ut haberet talem plenitudinem gratiæ, quod redundaret in omnes ſecundum quod dicitur* Ioan. 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Hoc & in alijs Sanctis videre licet : Quia enim DEUS deputarat & elegerat *Moyſem*, ut eſſet dux & anteſignanus populi Iſrael, imo ut eſſet Deus Pharaonis, juxta illud *Exod. 7. Ecce conſti-*

tui te

tui te Deum Pharaonis: Oportebat illi quandam omnipotentiam cum hoc Dei dignitas requirat communicari. Hanc & illi communicavit concedens ut per virgam ſuam tot ac tanta miracula ſoli Deo poſſibilia patraret. Sic & Deus elegit ad Apoſtolatum homines illi, muneri & officio minime habiles : Cum enim Apoſtolatus officium doctrinam, ſapientiamque requireret : Erant enim Apoſtoli Athenis & Romæ cum philoſophis diſputaturi, cum oratoribus locuturi, eoſq; convicturi & converſuri, & quia ipſi erant illitterati ineloquentes, ſimplices & jdiotæ, hinc Deus ut Apoſtolatus officio eis commiſſo ſatisfacere poſſent, ſapientiam & eloquentiam dedit : *Ego* inquiens *dabo vobis os & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere omnes adverſarij veſtri.* Quo facto ut ſubtiliſſimi etiam philoſophi ac eloquentiſſimi oratores in conſpectu eorum quaſi elingues & infantes facti ſint : Amplius quia Apoſtolis neceſſaria erat fortitudo & robur animi ad mortem, tormenta ac omnis generis perſecutiones ferendas, contrà verò ipſi timidiſſimi erant, ut patet dum in paſſione

sione Domini omnes relicto eo fugerunt, hinc eis dedit Deus fortitudinem & virtutem, tantumque robur animi, ut in media vitæ pericula irruentes, nihil trepidarent: *gaudentesque irent à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro Nomine IESV contumeliam pati.* Act.5. Cū igitur dignitas & excellentia Matris Dei suprema post Christum dignitas sit ut supra cap.1. ostensum est, supremam quoque gratiam tanto officio congruentem requirebat, & tantam quantam decebat habere eam quæ DEI mater ac per hoc potentissima cæli terræque Imperatrix futura erat exigebat: unde S.R.E. Cardinalis & Episcopus Ostiensis, *Petrus Damianus* serm.de Annunc. *Attende* inquit *Seraphim & videbis quidquid majus est minus virgine est solumq; opificem istud supergredi opus: & B.Idiota in contemplatione* cap.2. *ô Domina* ait *nihil tibi æquale est: omne quod est aut infra te aut supra te est. Supra te solus DEVS: infra te omne illud quod DEVS non est.*

§. 5.

CAusam tamen proximam, optimam & adæquatam adducit cælestis internuncius

nuncius *Gabriel*, post verba salutationis *Ave gratia plena*, mox subjungens *Dominus tecum*, nimirũ ille cũ ipsa erat, qui est fons & origo omnis gratiæ. *Quid mirum* ait *Bernardus* serm. 2. supermissus *si gratia plena erat, cum qua Dominus erat: sed hoc potius mirandum, quomodo, qui Angelum miserat ad virginem, ab Angelo inventus est esse cum virgine: Itane velocior Angelo fuit Deus, ut festinantem nuntium celerior ipse præveniret ad terras? Nec mirum: nam cum esset Rex in accubitu suo nardus virginis dedit odorem suum, & ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromatis & invenit gratiam coram oculis Domini: statimq; rex egrediens de loco sancto suo exultavit, ut Gigas ad currendam viam. Et licet à summo cælo egressio ejus nimio tamen pervolans desiderio, prævenit nuntium suum ad virginem quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat.* Nimirum tanto erga hanc sacratissimam virginem ferebatur desiderio unicus ille Deus, Dei & Virginis postmodum Filius, tanto in eam ferebatur amore, ut longum sibi foret tam diu exspectare, donec ad se missus ad virginem nuntius rediret, ipse nuntium prævenit:

venit : Ita præter *Bernardum* jam citatum *D. Hieron.* ſerm. de Aſſumpt. *Iam* inquit *cum virgine erat qui ad virginem mittebat Angelum, & præceſſit nuntium ſuum Deus, ſed à Deo non receſſit, nec teneri potuit locis, qui omnibus habetur in locis, & totus ubique eſt, ſine quo nihil totum.* Eodem modo *S. Auguſtinus* ſerm. de Nativit. *Dominus tecum,* inquit *Angelus & plus quam mecum : In me autem licet ſit Dominus memetipſum creavit Dominus, per te autem genitus eſt Dominus: ita eſt Dominus tecum ut ſit in corde tuo : adimpleat mentem tuam.* *Auguſtino* ſubſcribunt *Gregorius Neocæſarienſis & Andreas Hieroſolimitanus* Epiſcopi. Et quidem ille ponderans verba Angeli : *Dominus* inquit *tecum, non terrenus ſponſus ſed ipſe Dominus, ſanctificationis pater, caſtitatis author, immortalitatis dator, libertatis ſalutis procurator, & verus pacis conſervator & diſtributor. Qui ex terra, virgine fecit hominem, & ex coſta ejus Evam : Hic Dominus tecum & rurſus ex te : Andreas* Hieroſolimitanus verò eadem verba conſiderans, *Dominus tecum* ait *qui eſt ante te, hodie tecum eſt & paulò poſt erit ex te. Illud quidem ab omni*

æternitate

æternitate hoc autem ex tempore. O immensam humanitatem, ô benignitatem incredibilem. Non fuit satis gaudium indicasse nisi ipsum gaudij authorem inesse virgini significaret. Illud enim Dominus tecum perspicue Regis præsentiam declarat qui sic ex ipsa corpus assumit humanum ut à propria gloria non recedat.

Sed inquiet aliquis quid mirum est Dominum fuisse cum virgine qui cum omnibus est creaturis; ex ipso enim per ipsum & in ipso sunt omnia, ipse enim est omnia in omnibus. Et juxta Apostolum: *In ipso & movemur & sumus* nec locus est invenibilis nec creatura est assignabilis, in qua Deus non sit velut causa in suo effectu & permaxime, quia ipse juxta Theologos est immensus & ubique, cælum & terram implens ut ipse de se per prophetam testatur: sed ad hanc quæstionem perapte respondet *Bernardus* loco supra citato: *Deus* inquit *qui ubique est totus æqualiter per essentiam & suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis quam in cæteris & ipsarum aliter in bonis aliter in malis est per efficaciam. Ita sane est in irrationali-*

bus

bus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipsis à rationalibus omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantum, capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis: sed ita cum sit cum omnibus sanctis specialiter tamen cum MARIA, cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem sed etiam carnem sibi conjungeret, ac si de sua virgineque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret, qui etsi nec totus de Deo, nec totus de virgine esset, Totus tamen Dei & totius virginis esset, nec duo filij, sed unus utriusque filius. Ait itaque (pergit *Bernardus*) *Angelus, Ave gratia plena Dominus tecum. Nec tantum Dominus filius tecum, quem carne tua induis: Sed & Dominus Spiritus sanctus tecum, de quo concipis & Dominus Pater qui genuit quem concipis. Pater inquam tecum, qui filium suum facit & tuum, Filius tecum qui ad condendum in te mirabile sacramentum miro modo & sibi reserat genitale secretum & tibi servat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum.*

Sed aliud est quod in Archangeli verbis & salutatione miratur Doctor idem

melle fluens. : Ingressus enim ad eam *Ave gratia plena* ait, at paulò post confortans trepidantem quodammodo virginem. *Ne timeas ait, invenisti enim gratiam apud Deum: Quid* (ait *Bernard.* serm. 2. de generali Deipara) *Plena est gratia & gratiam adhuc invenit ? Digna prorsus invenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest ẽsse contenta bono : Sed quemadmodum scriptum est : Qui bibit me adhuc sitiet : petit supereffluentiam ad salutem universitatis. Spiritus sanctus superveniet in te, & pretiosum illud balsamum tantâ tibi copiâ, tantâque plenitudine influet, ut copiosissimè effluat circumquaq;.* Et infra semper ait *hæc inveniet gratiam, & sola gratia est quâ egemus. Prudens virgo non sapientiam sicut Salomon non divitias aut honores non potentiã, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia quâ salvamur. Quid ergò nos alia concupiscimus? gratiam quæramus & per MARIAM quæramus: quia quod quærit invenit & frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum, nam apud homines gratia fallax. Quærant alij meritum, nos invenire gratiam studeamus, MARIA non prætendit meritum, sed gratiam quærit, quam quoq; invenit.* CA-

Caput Sextum.

Encomium Marianum *Sextum*.

MATER PURISSIMA.

PEr omne peccatum sive mortale sive veniale maculam afferri homini peccanti, quæ macula si loquamur de peccato mortali nihil est amplius quam privatio gratiæ sanctificantis: per hoc scilicet quod homo qui ante peccatum erat filius DEI adoptivus (gratiæ enim sanctificantis est facere hominem, filium Dei adoptivum) desinat esse talis, fiatque ex amico Dei, inimicus ejusdem, ex filio Dei filius diaboli, juxta illud *vos ex patre Diabolo estis, quia ab initio Diabolus peccat* Ioan. 6. Habent ergò se gratia sanctificans, & peccatum mortale quemadmodum habitus & privatio, unde alio nomine gratia sanctificans dicitur habitualis. Ac proinde quantum inest de uno, tantum abest de altero, ita ut non possit dari homo pro hoc statu, quin vel sit in gratia, vel in peccato, quod forte potuisset fieri in puris naturalibus. Et li-

cet peccatum veniale non excludat, & tollat charitatem: minuit tamen fervorem illius, quemadmodum paululum aquæ non extinguit ignem, sed mitigat ejus calorem: signumque est gratiam talis hominis qui venialiter peccat non esse tam intensam, quam alterius, qui minus peccat. Cum ergo capite præcedenti ostensum sit B. Matrem & Virginem gratia divina plenam fuisse, nihilq; illi ex ulla gratia defuisse: manifeste infertur nullum peccatum sive actuale, sive originale, veniale vel mortale in illa locum aut habuisse aut habere potuisse: Utpote, cui dicitur à cælesti sponso in canticis: *Tota pulchra es amica mea, & macula* (intellige peccati: sive originalis sive actualis) *non est in te*, Cant. 4. Et quidem de peccato originali quod ab illo fuerit immunis hæc sanctissima virgo hoc capite probabitur, de actualibus autem infra.

§. 1.

QVamvis ad probandam immaculatam virginis Matris in utero Matris suæ conceptionem, sat superque præstaret Ecclesiæ benignissimæ Matris nostræ authoritas festum immaculatæ conceptionis

filijs

filiis suis festivo ritu celebrare mandantis, sed & SS. Patres ex eo quod Ecclesia festum nativitatis beatissimæ Virginis celebret, colligant eam in sua nativitate fuisse sanctam & à peccato originali liberam: pari modo cum festum conceptionis immaculatæ quotannis celebret magnum ex hoc eruitur argumentum ad probandum Virginem MARIAM in puncto conceptionis fuisse sanctam, & à macula originali immunem: Et sicut ex celebratione festi nativitatis beatissimæ virginis, rite infertur sanctitas & immunitas ejus à peccato ante nativitatem: utique ex festo conceptionis ejusdem bene inferemus emundationem ejus à peccato originali in ipso conceptionis instanti. Et hoc ipsum confirmatur, quod Ecclesia ac Romani Pontifices omnino vetuerunt aut in concionibus, aut privatis conventionibus, asserere eam in originali conceptam: permittentes interim contrarium defendi eam nimirum esse ab eo immunem. Licet ergò hæc Authoritas, ut dixi sufficiens videretur ad stabiliendam hanc opinionem: ob amorem tamen Bmæ Matris, una alterave ratione deinde congruentiis probanda erit.

Primam ergo rationem licet desumere ex authoritate Doctoris Angelici, qui tamen ab opponentibus contra immaculatam conceptionem ordinarie adduci solet. Is quærens anBeatissima Virgo nunquam peccaverit: Respondet sibi ipsi hoc modo, *Respondeo* inquit *dicendum quod illos quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat & disponit, ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei secundum illud 2. Corinth. 3. idoneos nos fecit ministros novi testamenti. Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset mater Dei: & ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, non autem fuisset idonea mater Dei si peccasset aliquando, tum quia honor parentum redundat in filios secundum illud Proverb. 17. Gloria filiorum patres eorum, unde & per oppositum ignominia matris ad filiū redundasset* &c. hęc ad verbum *D. Thomas* ex qua authoritate pro imaculata conceptione sic potest formari ratio: illud non est admittendum in virgine Matre, quod reddebat eam in idoneam officio maternitatis Dei, ad quod ab æterno electa est, sed peccatum originale reddebat eum inidoneam isti dignitati & officio

officio ergo. Major in terminis est D. Thomæ : Minor autem probatur , quia illud reddebat beatissimam Virginem inidoneam ad hoc ut esset Mater Dei, quod constituebat eam filiam diaboli , inimicam Deo, privatam gloriâ æternâ &c. sed peccatum originale hoc facit , cum propter ipsam simus & nascamur natura filij iræ, ergo. Maxime cum ob hanc causam D. *Thomas* neget eam peccasse venialiter ne esset inidonea suæ dignitati & officio , utique multo minus in ea erit admittendum peccatum originale , veniali longe gravius. Quod autem in MARIA non sit peccatum veniale definitum est in Concil. Trident. sessione 6. Can. 1. cujus verba infra ponentur.

Secunda item ratio desumi potest ex Tractatu de Incarnatione Dominica, ex communi ratione & axiomate ab omnibus Theologis ibidem adducto & concesso: hoc modo: omnis perfectio compossibilis Christo & non incompossibilis fini incarnationis debet poni in Christo , quod pariformiter ponit de beatissima virgine *Alphonsus Salmeron* hoc modo : *Quidquid*

gratiæ alijs sanctis vel viris vel fœminis legimus esse concessum (modo sexui fœmineo non repugnet) id totum nobilius ac eminentius virgini matri concessum esse asserendum est. Quædam etiam, quæ nulli alteri competunt modo constet Deum posse, & decere, donare atq; illam posse accipere. Sed non repugnat fini incarnationis nec est perfectio incompossibilis in Christo, quod mater ejus fuerit emundata in instanti Conceptionis ab originali delicto : Imò certum est Deum posse hanc gratiam, sed & esse decens ut donaverit, ut jam fuse probabimus ergo utique donavit : Quod autem fuerit conveniens ipsam emundari à Deo sic ostenditur : Nam utique conveniens fuit ut tantus filius præcaveret, ne sanctissima mater sua quæ ad maximam inter creaturas excellentiam erat evehenda, futura nimirum mater, filia, & sponsa Dei, Imperatrix hominum, Regina Angelorum, quod illa fuisset peccatrix, serva, & mancipium satanæ : licet enim statim post illud instans Deus eam emundasset ab originali peccato, fuisset tamen peccatrix potuissetque infernalis Cerberus erecto collo Christo hujus virginis filio insultare : ne

glorie-

glorieris Christe talem ac tantam imo virginem te habere matrem, etenim mea primitus ancilla fuit, & mancipium per peccatum : Illa tibi subministravit carnem, mihi primo solvit tributum peccati originalis à toto genere humano ordinarie mihi solvendum: illa quam tu ob honorem tuum ab originali emundasti & sanctificasti, à me prius defædata fuit fædissima peccati macula. Et habet se res in peccato originali pari modo sicut in spurio qui legitimatur : hic enim licet ex illegitimo fiat legitimus, manet tamen semper nota juxta quod dicit *Martianus* Imperator *in libertis* inquiens *semper manet nota apud ingenuos* hinc *Baldus* cap. final. de transl. Episc. ait *Spurius Legitimatus vel aliqua alia ratione nobilitatus similis est ægro curato à vulnere cujus semper aliqua remanet cicatrix* : Sic licet in peccatoribus quamvis deleatur & emundetur culpa, remanet nihilominus infamię & inhonestatis nota: quam in Beatissima Matre admittere redundaret certe in gravem ignominiam, & dedecus talis ac tanti filij. Cum autem *certum sit* (ut ait *Bernardinus Senensis* tom. 4. serm. 49. part. 11.)

Quod Deus creavit Adam & Evam sine peccato. Modo non est credendum, quod ipse filius Dei voluerit nasci ex virgine, & sumere ejus carnem, quæ esset maculata ex aliquo peccato originali, imò credendum est, quod voluerit sumere carnem purissimam, & quod ejus Mater fuit plus quàm Eva & Adam, qui creati fuerunt sine originali peccato: Sed rationibus scholasticis jam relictis ad mysticas convenientias è SS. Patribus propugnatas deveniamus: licet verò ex sensu mystico S. scripturæ absolute non deducatur sat firmum argumentum, bene tamen si ille SS. Patrum authoritatibus confirmetur & concordet, uti hic contingit: unde si bene probamus Beatissimæ Matris virginitatem ex mystica rubi significatione Sanctorum Patrum authoritatibus confirmata: bene etiam ex similibus accedente eorundem authoritate immaculatam conceptionem deducimus.

§. 2.

GLoriosissimæ ergo illius victoriæ, quam in instanti suæ conceptionis de infensissimo humani generis hoste beatissima Virgo reportavit, figuram habemus

mus Gen. cap. 7. graviſſimis nimirum totius mundi irritatus & offenſus Deus ſceleribus, inauditâ pœnâ ſtatuit tam infanda peccata mulctare, nimirum aquis diluvij: quemadmodum & fecit in tantamq; excrevit aqua altitudinem, ut altiſſimos etiam montes operiret: *Quindecim enim* ait *ſcriptura cubitis altior fuit aqua ſuper omnes montes quos operuerat*. Gen. 7. Sola nihilomin⁹ Arca Noe illæſa iñunis evaſit & incolumis: Volens autem tandem experiri juſtus ille *Noe* an ceſſaſſent aquæ diluvij ſuper faciem terræ: emiſsâ prius columbâ quæ ad ipſum reverſa eſt & poſtmodum corvo, tandem denuò emiſit columbam: at illa venit ad eum ad veſperam portans ramum olivæ virentibus folijs in ore ſuo: Miratur & inquirit hoc in loco *S. Ambr.* quomodo columba illa in reditu ad arcam potuerit invenire ramum olivæ virentis adhuc illæſum ab aquis diluvij: Et quidem optima difficultas. Tanto enim impetu aquæ diluvij invaſerant terram, ut cataractis cæli apertis, ruptiſque abyſſi fontibus, omnes arbores eradicarint: Ubi ergo olivæ ramum hæc columba invenit? Re-

spondet *D. Ambr. numquam hanc arborem fuisse eradicatam & evulsam, quamvis vehementissimus fuerit impetus aquarum* : Aliæ arbores omnes eradicatæ, oliva tamen in suo flore, & vigore permansit : *Gavisus est* ait *Ambr. vir justus videns fructum de veteri semine aliquem reservatum, & inde colligit misericordiæ insigne divinæ, quod fructum demonstrasset cui non potuissent nocere diluvia.* Magnum diluvium invasit totum genus humanum commisso peccato à nostris protoparentibus : *Per unum* inquit Apostolus *hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors & ita in omnes homines pertransivit in quo omnes peccaverunt* ad Rō. 5. In hoc autē diluvio omnes arbores, omnes inquā homines, quos Christus arboribus comparat in Evangelio: *Omnis* inquiens *arbor quæ non facit fructum bonum, &c.* naufragium passi sunt, sola illa excepta, quæ se ipsam olivæ comparat, Eccl. 24. *Quasi oliva* inquiens *speciosa in campis*, ab hoc originalis peccati diluvio immunis evasit & in flore ac vigore suæ justitiæ originalis illæsa permansit. Unde *Dionys. Carth.* explicans verba jam citata

cui

ſicut ait *oliva jugiter viret dulcem fructum producit, pacis eſt ſignum & pietatem miſericordiamque deſignat, ſic præclariſſima & incomparabilis Virgo MARIA jugiter in omni virore profecit ſapientiæ ac virtutum & ſuaviſſimum protulit fructum, reparatorem pacis generavit hominibus, & nos jugiter reconciliat Deo, eſtque totius miſericordiæ mater & pietatis fontana.*

Hanc ſingularem gratiam præſervationis ab originali peccato, dudum prædixiſſe videtur Regius Pſaltes pſal. 45. *Adjuvabit* inquit *eam Deus mane diluculo*, ac ſi diceret Dominus Deus patrocinabitur & ſuppetias feret virgini ab æterno in matrem ſuam electæ: Quod ſi quæras á *Davide*, quo tempore mane diluculo reſpondet ille, vel ut *S. Hieron.* legit, *auxiliabitur ei Deus in ipſo ortu matutino*. De hac quoque victoria & adjutorio divino ipſa beatiſſima mater gratias maximas Deo referens, *Obumbraſti* inquit *ſuper caput meum in die belli*: Quem locum exponens doctiſſimus *Abucenſis*: *caput* inquit *principium vitæ eſt, dies autem belli eſt illud inſtans conceptionis, in quo Dæmon peccati originalis maculæ dominatur*

de

de anima. Principium autem vitæ B. virginis obumbratum fuit ab instanti conceptionis ex vi prævisionis meritorum Christi, & nullam contraxit maculam originalem : unde gratias agens Deo pro tanto beneficio dixit: obumbrasti super caput meum in die belli.

§. 3.

EXperturi olim consodales per insignis pectoris *Zeuxis* quam inter omnes picturas suas, quarum plurimas in ædibus habebat, maximi æstimaret, seu quæ inter illas esset præstantissima: eo absente subito inclamarunt *Zeuxim* domum incendio conflagrare, juberet proinde nobiliores eripi picturas : exterritus ad has voces *Zeuxis* quamprimum exclamare cœpit *servate mihi Adonidem* pretiosissimam à me æstimatam picturam. Ad eundem modum Deus opt. max. videns ab æterno tot nobiles picturas ad sui imaginem & similitudinem formatas, tot inquam homines successivè absumi & devorari voracibus originalis peccati flammis, ab æterno ordinavit præservare ab hoc incendio nobilissimam omnium picturarum suarum B. Virginem : *servate* inquiens *mihi MARIAM*

RIAM ab hisce flammis, voraciſſimus ignis extinguatur aquis purpureis mei pretioſiſſimi ſanguinis : paſſio mea prævisa deleat æſtum illum, qui adurere poſſet tam puram, tam ſanctam animam. *Servate mihi MARIAM.*

Igitur ut ſubtiliſſime ſpeculatur Doctor ille ſubtilis *Scotus*, quem ſequitur quoque *Franciſc. Suarez*. Beatiſſima hæc Virgo fuit prædeſtinata ante peccatum originale abſolute prævisum, quod idem dicendum de Chriſto Domino ſecundum quod homo eſt ac proinde (ut bene ex dictis ſequitur) B. Virgo in eodem inſtanti rationis, aut alio immediate ſequenti, prædeſtinata fuit, quo & ipſe Chriſtus, ac ita fuit beatiſſima Virgo prævisa ante ipſum peccatum prævisum, adeòque non potuit in illo peccato quod Adam per virtutem ſeminariam derivavit in poſteros eſſe comprehenſa: ſic beatiſſima mater ipſamet de ſe teſtatur Prov. 8. *Nondum* inquit *erant abyſſi & ego jam concepta eram* nondum erant peccata prævisa quando ego prædeſtinata fui. Quod ſi Deus non Angelos ſolum, ſed & protoparentes noſtros creaverit ornatos omni

omni gratia, sanctitate & in statu innocentiæ. nonne multo magis decebat ut suam B. Matrem in illo statu conderet?

Adde quod lege naturali quæ jubet honorandos esse parentes, utpote à quibus habemus esse, obligabatur quodammodo ad hoc Christus Dominus. Unde *Aristot.* 2. Ethicor. inquit, *non minus stultum aut supervacaneum est de honore parentibus tribuendo quam de candore nivis disputare*. Et *Marcus Tullius Cicero* orat. pro *Milone* legem honorandi parentes appellat legem natam; quam non didicimus, aut legimus, verum ex ipsa natura accepimus, hausimus, & expressimus ad quam non docti sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: hocque ipsum præceptum disertis verbis expressit Deus, Exod. 20. *Honora* inquiens *patrem tuum & matrem tuam*. Licet enim legis lator non obligetur ad servandam legem à se datam, obligatione coactiva quasi incurrat pœnam si eam transgrediatur, bene tamen directivâ eaque obligatio oritur ex jure naturæ, quo fit ut legis lator ipse legem non servans peccet contra legem naturæ, quæ dictat eum se debere membris suis conformare.

mare. Non videtur autem Christus sufficienter servasse hoc præceptum si matrem suam, quam facile ab illo delicto nimirum originali, & servitute Diaboli, liberare & præservare poterat, nihilominus Diaboli permisisset imperio subjugari, vel unico etiam temporis instanti: sicut nec filius talis censeretur debitum parenti honorem & amorem exhibere, qui eam posset à morte corporali si solumodo vellet eripere & præservare, nec tamē id faceret. Quis unquam præsumat hunc filium Dei & virginis matris non summe hanc sanctissimam honorasse matrem, plus quam ullus alius filius suam matrem, & quod in alijs suis operibus de ipso testatur Apostolus *Lucas* in actibus Apostolorum *quod* scilicet *cœpit primum facere & post docere*: Hoc per maximè in observatione hujus præcepti observasse. Quod si *Pompejus Atticus* uti refert *Valerius Maximus* potuit aliquando gloriari numquam se matri reconciliatum esse, numquam cum illa in gratiam redisse, quasi innuens se numquam exercuisse lites & discordias cum matre sua: multò majori jure censendum DEUM incarnatum

tum dicere potuisse, numquam cum matre mea in gratiam redij: Inter me inquiens & matrem meam nec minima unquam interceſſit diſcordia, quæ ab ullo peccato actuali vel originali, mortali, vel veniali cauſari poterat.

§. 4.

HAnc etiam immaculatam Virginis Matris Conceptionem adumbrare volens Spiritus ſanctus in canticis, poſtquam vivo quaſi penicillo delineaſſet decorem & venuſtatem ſponſæ ſuæ beatiſſimæ Virginis, incipiens nimirum à vertice capitis, uſque ad plantam pedis; tandem in hæc prorupit verba: *Murem ilas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, cant. 1. Ac ſi diceret quia tota pulchra es ô Virgo gloriaſa, imò pulcherrima inter mulieres, aureum tibi conficiam monile argento vermiculatum, quod ad formam murenulæ collo tuo apponam: *Murenulas* inquit *aureas faciemus tibi vermiculatas argento*: Obſervat in hunc locum ſanctus *Cyrillus Alex.* morem fuiſſe antiquitus quod collaria, & monilia mulierum conficerentur in formam ſerpentis, qui caudam ori imponens circum-

circumdabat,ornabatq; mulierũ colla : *in formam serpentis* inquit cit. Doct. *erant monilia*. HOC jamposito occurrit non contemnenda difficultas cur non voluerit spiritꝰ S. monile Sanctissimæ Sponsæ suæ confici sicut monilia aliarum mulierum scilicet ad modum serpentis : latet hic magnum mysterium,ut notat *Origenes* : volebat enim hic spiritus sanctus immaculatam Virginis conceptionem ob oculos nobis ponere,si enim legamus *Berchorium Basilium aliosq; SS. Patres* inveniemus murenam serpentis esse filiam : nam serpens appetens concubitum murenæ , appropians mari prius venenum,quod in se habet reijcit,ac dein sibilo murenam ex aquis evocat , eiq; copulatur : ex qua copula murena nascitur serpentis quidẽ filia,veneni tamen illiꝰ nullo modo particeps : talis profecto fuit Beatissima Virgo : volebat ergò Spiritus Sanctus quasi insinuare;ornentur aliæ mulieres monilibus more serpentum efformatis, eo quod omnes sint originali peccato obnoxiæ : murenulas autem aureas tibi ô sanctissima Virgo faciemus vermiculatas argento , quia tu sola ab illo nævo

immunis, licet illius serpentis Adam sis filia non tamen veneni ejus originalis es particeps.

Hanc immaculatam virginis Conceptionem mundo quoque patefacere volens Evangelicus Propheta *Isaias* beatissimam virginem asserit esse instar virgæ radicatæ & fundatæ in terra Iesse, cujus radix ex stirpe Davidica traxit originem: *Egredietur* inquit dictus propheta cap. 11. *Virga de radice Iesse & flos de radice ejus ascendet*: super quæ verba *D. Hieron.* in expositione *in Isaiam* propheram lib. 4. in cap. 11. ita inquit: *Virgam & florem de radice Iesse, ipsum Dominum Iudæi interpretantur quod scilicet in virga regnantis potentia, in flore pulchritudo monstretur. Nos autem virgam de radice Iesse sanctam MARIAM Virginem intelligimus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem. De qua supra legimus: Ecce virgo concipiet & pariet filium. Et florem Dominum Salvatorem qui dicit in Cantico Canticorum. Ego flos campi & lilium Convallium.* Subintrat in eundem locum & ponderat hæc verba Ostiensis præsul & S. R. E. purpuratus *Petrus Damianus*, miraturque

cau-

causam Eccur propheta *MARIAM* Virginem *Virgam* appellet: *egredietur* inquiens *virga de radice Iesse* & non potius nominaverit arborem. Et profectò videtur potius debuisse nominare arborem quam virgam: primo quidem quia arbor majorem longè quam virga præfert & magnificentiam & splendorem, cui proinde ob suam maximam excellentiam multò convenientius comparabitur: Secundo quia arbor producit flores, fructus, & umbram: quemadmodum beatissima Virgo producit illum, qui de seipso dixit, *Ego flos campi & lilium convallium*, Cant. 2. Fructus etiam quemadmodum ipsa de se testatur: *Flores mei fructus honoris & honestatis*, Eccl. 24. & denique umbram juxta illud sponsi: *sub umbra illius quem desideraveram sedi.* Cur ergo eam *virgam* appellat? ideo nimirum ut monstraret eam ab omni peccati originalis nævo immunem fuisse. Si enim *Plinio Aristoteli* alijsque naturalistis fidem habemus, vix aliquam inter innumeras plurimasque arbores invenias, quæ omni defectu careat, quæ nec nodosa, nec tortuosa sit; bene tamen virgas innumeras

omnibus nodis carentes invenies. In sacris autem litteris per tortuositatem, ac nodositatem peccatum, ac iniquitas significatur, *Davide* Rege attestante, *incurvaverunt animam meam*: Volebat igitur insinuare Propheta beatissimam Virginem à tortuositate ac nodositate cujusvis peccati tam originalis quam actualis fuisse immunem: Audite pulcherrime super hac re differentem prę̨sulem purpuratum *Petrum Damianum*: bene *hæc incomparabilis virgo* inquit ille *virga dicitur, quare? quæ per intensionem desiderij semper ad suprema eminuit, neq; per cæcitatem peccati distortæ nodositatis vitium aliquando incurrit*: ut non immerito, de hac immaculata hujus virginis conceptione canat Ecclesia. *Hæc est virga in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Et iterum. *In Conceptione tua virgo immaculata fuisti, ora pro nobis patrem cujus filium genuisti.*

§. 5.

EX quibus jam dictis facile erit dignoscere, causam ob quam Spiritus sanctus inter alia quibus comparat sponsam suam B. Virginem etiam comparet eam lunæ

lunæ: *Quæ est ista* inquiens *quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, &c.* Cant. 6. Inconveniens enim alicui videbitur hæc comparatio & indecens, tantam virginem comparare planetæ, tot defectibus & vitijs obnoxio: Quid enim luna mutabilius: quæ jam plena, jam apparet media, jam cornuta, jam nullo modo videtur jam pallida, jam rubicunda, jam vero alba. Inconveniens autem virginem in virtutibus omnibus maxime radicatam, & stabilitam tam mutabili planetæ comparare. Respondet tamen ad hanc objectionem *Richardus de S. Victore*, quod sicut oculis mortalium luna repræsentat maculam, cum tamen nulla in ea reperiatur macula: ita contemplantibus nobis *MARIAM* Virginem tanquam ex *Adamo* ortam, ejusq; filiam: videtur & apparet quasi ipsa in conceptione contraxisset originalis peccati maculam, purissima tamen & immaculatissima est in se, quemadmodum ore proprio suo confessus est Deus, *Tota* inquiens *pulchra es amica mea & macula non est in te* Cant. 4. quæ verba considerans sapientissimus *Idiota* contemplatione de beatissima

Virginæ ad eamque conversus : *Tota* ait *pulchra es virgo gloriosissima non in parte sed in toto & macula peccati, sive mortalis sive originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit.*

Idem hoc omnes leges convincunt, si enim *Augusta* ut dicunt Iurisperiti *gaudet privilegio principis* & in lege *Princeps* de legibus habeatur quod *Imperator eadem privilegia tribuit Augustæ, quæ & ipse habet*, & ex hoc glossa ibidem inferat imperatrices ad vectigalia non teneri: profecto neque cæli terræq; Imperatrix obligata fuit, tributo peccati originalis, ad quod alij omnes tenentur excepto beatissimæ matris filio & ipsamet matre, ut ita quemadmodum l. *sacris* c. *de proximis lib. 12.* scriptum est: *Mater gaudeat privilegio filij.* Ut quemadmodum filius ejus Christus est impeccabilis per naturam, ita sanctissima mater ejus sit impeccabilis per gratiam.

Nec desunt plurimi Sanctorum Patrum qui hanc de immaculata virginis matris Conceptione ambabus ut ita dicam manibus amplectuntur sententiam: quos omnes adducere certe immensi esset laboris: paucos tamen eandem asserentes audiamus.

Ioan-

Ioannes Damascenus Virginis sanctissimæ cultor eximius à qua & abscissam manum miraculosè redintegratam recepit orat. de Nativit. *MARIÆ* de ejus agens Conceptione. *Natura* inquit *gratiam antevertere ausa non est, sed tantisper exspectavit, dum gratia fructum suum produxisset*: Ita ille simul ergo ut concepta fuit *MARIA* gratia ejus animam occupavit: Et iterum orat. 2. de Assumpt. *Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit*, alludens nimirum ad paradisum terrestrem, ad quem serpens ille antiquus aditum invenit, unde & initium habuit peccatum originale ad paradisum vero Dei *MARIAM* non habuit aditum, adeoque nec ipsa habuit peccatum originale quemadmodum alij.

Damascenum sequitur è vestigio *S. Laurentius Iustinianus* serm. de Annunc. inquiens: *Ab ipsa Conceptione in benedictionibus est MARIA præventa dulcedinis, & damnationis alienæ chyrographo, prius est sanctificata quam nata.* Sed clarius lib. de casto connubio verbi & animæ, cap. 2. *Quotquot* ait *ex ipsa nati sunt propagine exceptis duntaxat mediatore Christo IESV & ejus Matre sub hac le-*

ge peccati conditi sunt : Et denique lib. de gradibus perfectionis, cap. 1. *Ab originali* inquit *delicto nullus excipitur præter illam quæ genuit Salvatorem.*

Ejusdem mentis est *S. Vincentius Ferrerienſis* serm. de Nat. virg. tom. 8. *Non credatis* ait *quia fuerit in MARIA sicut in nobis qui concipimur in peccatis, sed statim ac anima ejus fuit creata, fuit sanctificata, & statim in cælo Angeli celebraverunt Festum Conceptionis.*

Clarissime etiam suo testimonio Conceptionem immaculatam confirmat *S. Apostolus Andreas*, uti in ejus gestis refert *Abdias* lib. 4. hist. *sicut* inquit ille *primus Adam formatus fuit ex terra antequam esset maledicta, ita secundus Adam formatus est ex terra virginea numquam maledicta.* Et ne multitudine authoritatum idem asserentium lectori sim gravis : hanc sententiam docent & amplectuntur *Aureolus, Alexander de Ales, Andreas Vega, à Castro, Corduba, Carthagena, Lyranus, Mayronius, Richardus de media villa, Suarez, Vasquez, Maldonatus*, & innumeri alij quos citat & sequitur *Alexander Calamatus* in sua sylva mystica fol. mihi 395. Imo & impijssi-

mus

mus *Mahometus* fidei noſtræ hoſtis infenſiſſimus immaculatam Conceptionem aſſerit in ſuo *Alcorano* inquiens *nullus naſcitur ex filijs Adam quem non tangat Sathan præter MARIAM & Filium ejus.*

CAPUT SEPTIMUM.

Encomium Marianum *Septimum.*

MATER CASTISSIMA.

MAgnis eximijſque præconijs laudant veteres variarum heroicarumque mulierum ſuarum caſtimoniam, quæ nimirum maluerunt morti ſe obijcere, quam caſtimoniæ violationem perpeti, ſic teſte *D. Hieron.* in Epiſt. 11. ad *Ageruchiam Reginam Carthaginis Didonem* magis ardere maluit quam *Hiarbæ* Regi nubere. Et *Haſtrubalis* uxor quæ apprehenſis utraque manu liberis, in ſubjectum ſe præcipitavit incendium, ne pudicitiæ damna ſentiret: Et *Lucretia* quæ amiſſa gloriâ caſtitatis noluit pollutæ conſcientiæ ſupervivere. Pari modo ſumme extollunt caſtimoniam *Ioſephi* Ægypthi Proregis ſacræ litteræ: quam hoc

modo ob oculos ponit *Chrysostomus* hom. 44. in Gen. tom. 1. *Considera* ait *Ioseph speciosum adolescentem, in ipso ætatis flore tantam castitatis constantiam præ se ferentem, & sic ad imitationem justi hujus auditores provocare studeamus: Quis enim non miretur beatum illum qui in servitute existens & in ipso ætatis flore, quando maxime fornax concupiscentiarum accenditur, cum videret Dominam suam se invadentem, & insanientem in se, tantam ostendit fortitudinem, & ita ad castitatis agonem se exercuit ut ab intemerata illa muliere nudus quidem vestibus profugeret, castitatis autem indumentum servaret? Licebatque videre rem novam & admirabilem, agnum in lupi imo leenæ ungues incidisse, & salvari potuisse: Et sicut columba aquilæ damnum effugit, ita & justus ab illius manibus effugit. Non tam admirabile mihi videtur esse tres pueros illos in medio Babylonicæ fornacis ignem vicisse illæsis eorum corporibus, quam mirabile & rarum est, quod justus ille qui in fornacem Babylonica multò graviorē in incontinentiam in quam ægyptiæ incidit & intactus permansit, puroque castitatis indumento servato exijt:* Magna præconia, sed tantæ castitatis amo-

ri non

ri non indigna. Quod si tamen hujus Proregis castitati glorioſiſſimæ Virginis Deiparæ castitatem comparare voluerimus, infinitis quodammodo gradibus superabitur, ut identidem repetendum veniat vulgatum illud de beatiſſima matre ut quemadmodum in alijs, sic & in castitate : *Nec primam similem visa est nec habere sequentem.* Magnum est se ab omni contactu immundo immunem custodire : majus omnem etiam appetitum delectationis carnalis excludere : At maximum nec ullam immundam aut inhonestam cogitationem admittere : Omnia hæc excellentiſſime habuit beatiſſima Virgo Deipara, utpote in qua juxta mentem Doctoris Angelici *D. Thomæ Aquinatis* fomes peccati (qui nihil est aliud quam inordinata concupiſcentia sensibilis appetitus in quantum repugnat rationi vel in quantum inclinat ad malum vel difficultatem facit in bono) per abundantiam gratiæ, quam per sanctificationem in utero recepit, remansit ligatus: postmodum autem in ipsa Conceptione Christi sublatus, & subtractus fuit.

§. 1.

§. I.

ET quidem Beatissimam Virginem mansisse virginem castissimam post partum jam supra, abunde ut reor demonstratum est, cum ageretur de titulo virgo virginum: ut non esset necesse ultra probare, ne tamen hoc encomium transeamus, aliquid jam dictis pro supplemento addendum erit. Castitatem Virginis Matris vivo quasi calami sui penicillo adumbrare cupiens, *D. Ambrosius: Sit igitur* inquit *vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaq; Beatæ MARIÆ, in qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt.* Et paulo post *Quid* inquit *castius eâ, quæ corpus sine corporis contagione generavit? Virgo erat non solum corpore sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum.* Hæc ille lib. 2. de Virginibus in initio. Pulcherrime etiam hujus sanctissimæ Virginis castitatem ob oculos ponit, *S. Rupertus* commentans in verba Canticorum: *Iunctura fœminum tuo-*

rum

rum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis: Hoc modo differens: *Laus ista* inquit lib. 6. in Cant *Laus magna vituperationi opposita est imo & acerbissimæ exprobationi illius ancillæ apud Ezechielem Prophetam dicentem ex ore Domini. Et divisisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti fornicationes tuas. Divisio vel divaricatio pedum ipsa est disjunctio fœminum, valde vituperabilis, nimirum propter illud quod subintelligitur: Videlicet propter multitudinem fornicationum. Et è contra junctura fœminum ipsa est compositio vel continuatio pedum laudabilis, itemque propter illud quod intelligitur, scilicet propter pudicitiæ pulchritudinem, salvatumq; ac bene custoditum castitatis sigillum, maxime in te ô singularis & unica vel nobilissima Sunamitis, in te ô dilecta & dilectarum dilectissima, quæ prima sine exemplo junctura fœminum tuorum ita custodire proposuisti, ut virgo nulli unquam cognita vel cognoscenda viro, digna fieres conjungi tuæ integritatis authori Deo. Quantum est hoc decus? quanta honestas? Igitur junctura fœminum tuorum sicut monilia id est virginitatis tuæ integritas perpesq; pudicitiæ custodia cœlestibus præsidijs communita. Cujus est*

hoc

hoc opus? cujus virtus? nimirum Dei altissimi. Dico igitur non qualiacumq; monilia, sed monilia quæ fabricata sunt manu artificis, id est quæ solus Deus facere & dare potest vel potuit.

Hæc in præconium castitatis virginalis Matris suæ sponsus cæleſtis. Et in illius verba commentans *Rupertus*: Prosequitur autem laudes sponsæ & præconia magis delineans, ejus pudicitiam ex hoc nimirum quod non solum corpore, sed etiam mente casta nullam quidem adversam castitati cogitationem admiserit: *Vmbilicus* (inquit ergo sponsus) *tuus sicut crater tornatilis numquam indigens poculis:* In quę verba citatus *Rupertus. Et ista laus tua ô libera Sunamitis opposita est ancillæ vituperationi, quam apud jam dictum Prophetam Ezechielem habemus his verbis. Et quando nata es non est præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem. Quibus utiq; verbis luxuriæ superfluitatem vituperat: quia viris quidem in lumbis, fœminis autem in umbilico luxuria est, testante Domino qui de diabolo loquitur ad beatũ Iob. virtus ejus in lumbis ejus & potestas ejus in umbilico ventris ejus. Igitur umbilicus tuus crater tornatilis, quid est nisi ac si diceret, perfecta*

fecta est in te virtus castitatis & liberata es ab omni carnalis appetitu voluptatis: parum quippe fuisset ad laudem veræ virtutis dixisse, junctura fœminum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis, nisi & istud diceret umbilicus tuus sicut crater tornatilis numquã indigens poculis, quia videlicet illo præcedenti versiculo solum denegatur opus sive effectus carnalis commercij: isto autem sequenti appetitus quoq; cogitationis qui si inesset numquam veraciter diceretur umbilicus, sic præcisus, imo & circumcisus ut crater tornatilis neque addereretur adhuc numquam indigens poculis. Quidnam est umbilico non indigere poculis, nisi non viri vel sitire appetitum libidinis? Hinc enim per quendam sapientem dicitur. Sicut viator sitiens os suum ad fontem aperiet & ab omni aqua proxima bibet. Ergo tu ô Sunamitis ô filia Principis corde & corpore es casta, mente & carne integra & incorrupta, cogitatione & opere munda.

Et quid mirum beatissimam hanc Virginem fuisse inter omnes virgines castissimam: talem utique & non aliam decebat Deum accipere in matrem. Ex omni gentis humanæ numero, ex omni mulierum

ac virginum cætu, è tot centenis millibus, imò è tot millionibus hominum, Deus utique potestatem optionemq; habuit absolutissimam eligendi in matrem quamcumque vellet, & quæ illi maxime placeret: siquidem ab omni æternitate omnes omnino homines sibi præsentes habuit, singulos exactissimè novit, ut qui omnium ac singulorum corda penitissime scrutatur. Atque ex his omnibus hanc Virginem elegit in Matrem: Ergo absque dubio castissimam, ergo verecundiæ ac pudicitiæ, omniumque virtutum laude cumulatissimam: ergo sui amantissimam. Hinc Mellifluus *Bernardus* virginis matris cliens integerrimus ac amator ardentissimus *Electa* inquit *ex millibus*. Et sponsus in Canticis appellat eam *electam ut sol*: Et denique Ecclesia S. Mater nostra *Elegit* canit *eam Deus & præelegit eam*. Id quoque nobis *Esdras* explicavit qui Sionis electionem prædicans: lib. 4. cap. 5. *Dominator Domine* inquit *ex omni sylva terræ & omnibus arboribus ejus elegisti vineam unicam: Et ex omni terra orbis elegisti tibi foveam unam: & ex omnibus floribus orbis elegisti tibi lilium unum: & ex omnibus abyssis*

abyssis maris repleſti tibi rivum unum: & ex omnibus ædificatis civitatibus ſanctificaſti tibimetipſi Syon: & ex omnibus creatis volatilibus nominaſti tibi columbam unam: & ex omnibus plaſmatis pecoribus providiſti tibi ovem unam. Ita prorſus Dei ſanctiſſima Mater illa columba una juxta quod dicit ſponſus in canticis *una eſt* inquit *Columba mea, una eſt matri ſuæ electa genetrici ſuæ:* Ipſa eſt vitis illa de qua ibidem dicitur: *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris:* Denique ipſa eſt lilium illud de quo ibidem dicitur: *Sicut lilium inter ſpinas ſic amica mea inter filias electa* inquam *ex millibus.*

Doctor extaticus *Dionyſius Carth.* virginis matris excellentiſſimam caſtitatem adumbrare volens: & explicans immediate ante citatum canticorum locum ſcilicet, *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*: per ſpinas intelligit omnes alias virgines etiam ſanctas præter beatiſſimam Virginem: per lilium autem ipſam virginem glorioſam hanc ob cauſam, quia quamvis multæ fuerint ſanctæ virgines, inter quas etiam plurimæ præter virginitatis lauream martyrij quoque gloriam ſunt adeptæ, uti

sunt *SS. Barbara, Lucia, Catharina, Agnes, Febronia* ac plurimæ aliæ, attamen respectu beatissimæ virginis veri lilij, revera spinæ fuerunt: quantumvis enim sanctæ in se fuerunt, spinæ tamen erant respectu aliorum quorum corda ad sui concupiscentiam & impudicum amorem incitabant; sola ab hoc libera Beatissima Virgo, quæ non solum nullius cor, quamvis etiam corporali constitutione pulcherrima esset ad concupiscentiam aut illicitum sui amorem incitabat, sed etiam suo intuitu ad tempus illorum libidinem extinguebat: verba Doctoris citati sunt cap. 2. art. 8. in Cantica. *Quamvis fuerint multæ virgines sanctæ quarum quædam Martyrij palmam sunt adeptæ, tamen respectu hujus unicæ virginis singularis amicæ sponsi quasi spinæ fuisse videntur in quantum aliquid culpæ habebant, & quamvis in se fuerint mundæ non tamen fuit, in eis fomes peccati prorsus extinctus, fuerunt & alijs spinæ, qui ex earum intuitu mucrone concupiscentiæ pungebantur: quamvis ipsæ virgines sanctæ non fuerint in hoc ipso culpabiles. Porro hæc unica Dei dilectissima Virgo totius superbeatissimæ Trinitatis media, amica, ac socia, ab*

omni

omni culpa fuit prorsus immunis, in ea fomes fuit plene extinctus, & tam intensissima charitate erat repleta, quod intuentiũ corda sic penetravit sua inæstimabili charitate virginea, quod á nullo potuit concupisci, immo potius ad horam extinxit illorum libidinem. Et res illa de alijs sanctis virginibus est manifesta: nam quamvis sancta esset *Agnes*, imo in rigore loquendo adhuc innocens, eò quod non excederet duodecimum ætatis annum, spina tamen fuit filio præsidis, cujus cor mucrone concupiscentiæ pupugit, dum pulchritudine sua eum ad impudicum sui amorem accendit: sic sancta quoque erat *Pelagia Martyr*, quæ tamen cor filij *Diocletiani* in tantum in sui amorem accendit, ut cum videret se eam in matrimonium habere non posse, ipse sibi violentis manibus mortem inferret: Et innumera talia habent historiæ.

§. 2.

NEc in hoc stitit castissimæ Virginis castimonia, & pudicitia, quod non potuerit ab alijs concupisci impudice, sed adhuc eorum si quando impudico ardebant amore ipsa suo dulcissimo intuitu, libidi-

bidinis ardorem in eis extinguebat: ſuis oculis baſiliſcus venenum inſtillat, & eo inſtillato illum cui inſtillavit perimit. Contra beatiſſima virgo venenum cupidinis & Veneris ſuo dulciſſimo aſpectu & ſacratiſſimis oculis pellit & perimit. Notavit hoc ipſum in ſuo MARIANO Pſalterio Seraphicus *Bonaventura* pſal. 85. *Fons bonitatis tuæ* (air ibidem ad Beatiſſimam Virginem) *inebriat ſitientes & aſpectus faciei tuæ retrahit à peccato*: nimirum in toto corporis & aſpectus hujus B. Virginis diſpoſitione verecundia & pudicitia relucebat: *Verecunda ſermone* inquit *Ambroſius eos ſolita virorum cœtus inviſere, quos miſericordia non erubeſceret neq; præteriret verecundia: Primus eſt pudor, qui in ipſo cognitionis ingreſſu Domini Matrem commendat legentibus & tanquam teſtis locuples dignam, quæ ad tale munus eligeretur aſtruit, quod in cubiculo, quod ſola, quod ſalutata ab Angelo tacet, & mota eſt in introitu ejus, quod ad virilis ſexus ſpeciem peregrinam turbatur aſpectus virginis. Itaq; quamvis eſſet humilis præ verecundia tamen non reſalutavit.*

Commendat hanc ipſam Virginis verecun-

recundiam ſummopere Sponſus cæleſtis cap. 1. Cantic. *Pulchræ* inquit *ſunt genæ tuæ ſicut turturis collum tuum, ſicut monilia* quæ verba explicans *Tuitienſis* Antiſtes *Rupertus*: *pulchritudo* ait *tua pudicitia eſt quæ multum apparet & ſpectabiliter relucet in genis tuis, quia non foris vagaris oculis, ſed ſicut ſolivaga & avis caſtiſſima turtur ſolitudine delectaris, & ſolitariam te angelus invenit atq; ſalutavit. Non ita pulchræ ſunt genæ mulieris, qualem ſapientia denotat: ornatu inquiens meretricio præparata ad capiendas animas garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis. Verum ut taceam de ejusmodi: pudicarum omnium virginum, viduarum atque continentium pudor ſive pudicitia, religioſitas aut verecundia, tuis genis, tuis oculis comparata, non eſt verecundia, non eſt pudor, non eſt aut vix meretur dici pudicitia.* Et alio item loco, idem ſponſus cœleſtis manifeſti⁹ hanc eandemmet verecundiam in ſponſa deprædicans: *Sicut fragmen mali punici ita genæ tuæ* inquit *abſque eo quod intrinſecus latet*: can. 4. dicunt autẽ medici cibo mali punici ſeu malogranati, quod idẽ eſt corpora non nutriri, ſed eo ſic utendum

opinantur, ut medicari potius, quam alere videantur. Nimirum optime hęc quadrant in genas beatissimæ Matris, quarum nimirum pulchritudo non alat flammas libidinis aut impuri amoris, quin potius tanto igni sedando & extinguendo medicinæ vicem subeant: *Ita* inquit *Rupertus* super hūc locum *genæ tuæ sicut fragmen mali punici id est verecunda es sicut decet virginem, longe dissimilem filiabus illis, quarum cuilibet dicendum fuit, frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Fragmen mali punici, & rubet, & amplius quam integrum malum redolet: sic tu & singulariter verecunda es & multis per bonam opinionem in bono exemplo proficies. Quid autem est dicere absque eo, quod intrinsecus latet nisi ac si diceret & illud quod intus in conscientia latet amplius laudabile est? O vere laudabilis verecundia, ubi & intus conscientia munda & foris facies verecunda est. Nam ubi est aliquid quo mens erubescat non adeo laudabile est, si conspectam faciem rubor perfundat. Igitur tua verecundia, quid est nisi religiositas summa? & hæc virtus sine dubio debuit malo punico assimilari, quia gratiosa est intuentium oculis & interdum suo silentio, non minus*

ædificat

ædificat quàm sermo prædicationis. Vnde in tunica pontificis deorsum ad pedes ejusdem tunicæ: facies inquit Dominus ad Moysen per circuitum quasi mala punica ex hyacintho purpura & cocco bis tincto mixtis in medio tintinabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum & malum punicum, rursumq; tintinnabulum aureum aliud & malum punicum: & vestietur ea Aaron in officio ministerij sui ut audiatur sonus quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu Domini & non moriatur. Illud factitium malum punicum rubicundum erat, utpote non ex solo hyacintho, qui color aëreus vitam significat cœlestem: verum etiam & ex purpura, & cocco bis tincto factum. Et ita genæ tuæ ô dilecta verecunda & magistra competentis verecũdiæ: cujus verecundia tanto est laudabilior, quanto conscientia glorioſior, tutior atque securior. Ut non immerito sancti Patres in suis tentationibus carnalib⁹ ad unicam huius sanctissimæ virginis etiam depictam solum effigiem confugerint, & solatium ac subsidium invenerint: Ad hunc igitur pudicitiæ, castimoniæ & verecundiæ fontem sitibunda quoque properet anima nostra: quoties caro titillat & venenum suum per cogita-

tiones nobis instillare contendit : suspire-mus ad eam cum pijssimo illo ejusdem cultore hisce eam verbis affantes. *Per eximiam illam & admirabilem pulchritudinem tuam dulcissima Mater & Virgo excellentem omnem mundi rerumq; creatarũ pulchritudinẽ, quam sol & luna mirantur, cujus intuitus à peccatis retrahit libidinis flammas extinguit, eijce è cordis nostri penetralibus quidquid sordidum & minus decorum est: illumina tenebras nostras interiores radio splendoris tui, ut vitijs dissipatis atque deletis, pulchritudinem tuam pure contemplemur. Ostende nobis precamur decoram faciem tuam cujus aspectu suscitentur in nobis inextinguibiles castimoniæ affectus, inhæreat mentibus nostris amabilis illa castimoniæ fotrix pulchritudo tua, possideatque penetralia cordis nostri purissimus tui filijque unigeniti tui amor in perpetuum.*

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

Encomium Marianum *Octavum Et Nonum.*

MATER INVIOLATA Et MATER INTEMERATA.

BEatissimam virginem ab originali culpa imunem fuisse in encomio mediate præcedenti sufficienter ut reor demonstratum est. Supereſt ut in præsenti encomio immunitatem ab omni peccato etiam actuali sive mortali, sive veniali demonstremus: Hanc enim immunitatem quodammodo indicant encomia allata, intemerata, inviolata, quæ secundũ *Calepinum* idem sunt ac immaculata. Quam immunitatem beatissimæ Matris ab omni peccato ratione hac ostendit Doctor Angelicus: *Non fuisset* inquit *idonea ut esset Mater Dei si peccasset aliquando: tum quia honor parentũ redundat in prolẽ, secundum illud* Prov. 17. *gloria filiorum Patres eorum: unde & per oppositum ignominia matris ad filium redundasset: tum*

etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum qui ab ea carnem accepit dicitur autẽ 2. Cor. 6. *quæ conventio Christi ad Belial? tum etiam quia singulari modo Dei filius qui est Dei sapientia habitavit in ipsa, non solum in anima sed etiam in utero,* Sap. 1. *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo simpliciter fatendum est quod Beata virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea impleatur, quod dicitur* Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te, macula inquã nec culpæ mortalis nec venialis.* Hucusque Doctor Angelicus & congruenter: Cum enim peccatum nihil sit aliud proprie loquendo nisi carentia virtutum debitarum inesse, item privatio gratiæ sanctificantis si sit mortale aut saltem diminutio fervoris charitatis, imo nihil: demonstratumq; sit supra beatissimam virginem fuisse gratia plenam omnibusque virtutibus exornatam, nequaquam in ea potuit esse peccatũ utpote quę numquam carverit gratia sanctificante, nec unquam diminutionem fervoris intensissimæ suę charitatis sustinuit. Quæ intuentes Patres in

Conci-

Concilio Claromontano sub *Vrbano 2.* celebrato & *Concilio Trident. Sess. 6. Can. 23.* decreverunt beatissimam Virginem ab omni peccato tam mortali quam veniali liberam esse: Verba *Concilij Trident.* sunt: *si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neq; gratiam amittere, atq; ideo eum qui labitur & peccat, numquam verè fuisse justificatum aut contra, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia anat hema sit:* Videturque hanc sententiam Concilium desumpsisse ex præsule Hipponensi *Augustino,* qui lib. de nat. & gratia cap. 36. de peccatis & peccatoribus agens, solam Beatissimam Matrem ab illis excipit: *Excepta* inquit *sancta MARIA de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur habere volo quæstionem. Inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

§. 1.

HAnc ab omni peccato immunitatem adumbrare cupiens Psalmographus Regius

Regius : loquens de adventu filij DEI in castissimum MARIÆ Virginis gremium postquam dixisset; *fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (scilicet beatissimam Virginem) *sanctificavit tabernaculum suum altissimus*, mox subjungit *Deus in medio ejus non commovebitur*: ac si diceret Deus omnipotens redempturus genus humanum humanamq; assumpturus naturam nullo modo commovebitur, sed immobilis prorsus persistet: *Deus in medio ejus non commovebitur*. Quid hæc sibi volunt Psalmista *David*? quomodo possibile Deum incarnari de cælis ad terrã descendere nec tamen commoveri? An non hic est ille de quo alio in loco asseris: *In sole posuit tabernaculum suum & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: exultavit ut Gigas ad currendam viam à summo cælo, egressio ejus & occursus ejus usque ad summum ejus?* An non hic est de quo sponsa in Canticis *Ecce iste* inquit *venit saliens in montibus transiliens colles*. Et iterum *Fuge dilecte mi similis esto capreæ hinnuloque cervorum*? Si ergo de cælis descendit in terram venitque in gremium virginis, quomodo se non movebit? sed mirari desinamus,

mus, voluit namque Regius Psaltes verbis jam dictis puritatem B. Matris Dei ab omni peccato adumbrare: non solet enim Deus moveri aut commoveri de loco in locum, cum sit immensus & ubique juxta quod dicit per prophetam *Cælum & terram ego impleo*. Ac proinde solum legatur Deus commoveri aut moveri per peccatũ, dum scilicet qui fuit in peccato, justificatur, fitq; amicus Dei, & iterum recipit gratiam quã amiserat per peccatum: vel contra peccando amittit gratiam Divinam quam ante habuerat: sic vix Adam peccaverat cum uxore sua, & mox se movit Deus: cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem nimirum: quia recesserat ab eis Deus per gratiam & justitiam originalem, quam peccando amiserant: significare ergo volens psalmista Beatissimam Virginem nullum unquam admisisse peccatum asserit Deum in ipsa numquam esse commotum: *Deus* inquit *in medio ejus non commovebitur*. Confirmat hunc conceptũ testimonio *S. Ambr.* *His igitur* inquit *ille fluminis superni meatibus civitas illa in qua Deus inhabitat irrigatur*

tur & ſanctificatur altiſſimi tabernaculum. Et poſt pauca *bonum* inquit *tabernaculum quod nulla potuerunt obumbrare peccata.* Et tandem ſubdit: *nec mirum quando Deus in medio civitatis ejus erat nec commotus eſt: quia ſive quia nullius peccati prolapſione commotus eſt Dei filius, nec alicujus erroris offenſione tubavit aut corporalis ille cebræ nutavit impulſu, ſive quia non reliquit animam ejus Dei gratia, ſed inſeparabilis in ea manſit, quod ab omni colluvione delicti immaculata duraverit: unde & ad patrem Dei filius dixit, nec derelinques animam meam in inferno. Ergo quia ſuberat ei nec in carne peccare divine ait: Ego in patre & pater in me eſt: Et alibi, traditus ſum & non egrediebar ab eo utique non egrediebatur cui dixit poſtea: Exſurrexi & adhuc ſum tecum. Vbi autem gravius peccat commovetur in eo Deus ut ab eo tranſeat. Vnde & Adæ peccanti deambulare viſus eſt: & Stephano ſtare & quia ille in prævaricatione lapſus eſt hic in martyrio coronatus, Deus ergo in medio ejus non eſt commotus.*

§. 2.

SUmmus Deus noſter puritatis amator & zelator eſt: ipſe enim eſt ignis conſumens

mens peccatorum rubiginem, de quo dicitur *Malachiæ 3. & ipse quasi ignis conflans & herba fullonum* qui & monet per prophetã *Moysen*, LEV. 11. *sancti estote quoniã ego sanctus sum*: maximam tamen requirit puritatẽ in ijs quæ ad ipsum aut ad ipsius cultum proxime spectant: Hinc Exod. 28. mandavit *Moysi, facies laminam* inquit *de auro purissimo in quo sculpes opere cælatorio sanctum Domino*: Hoc sanctum Domino nomen erat Dei ineffabile *Tetragrammaton*, uti ait *Philo* in vita *Moysi* quod ipsum nomen in eadem lamina inscriptum & cydaræ seu mitræ pontificiæ impositum adoravit *Alexander Magnus* occurrente sibi extra *Hierosolymam* in ornatu festivo ipso summo Pontifice. Nomen igitur suum non nisi in auro & puriſſimo quidem inscribi & collocari voluit Deus. Pari modo Exodi 30. Sacerdotibus lotionem præscripsit in lege antiqua: *Emissa* ait *aqua lavabunt in ea Aaron & filij ejus manus suas & pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare ut offerant in eo thymiama Domino ne forte moriantur*: Eadem de causa clamat ad Levitas per Prophetam *Mundamini*

mini qui fertis vasa Domini: Sic & Dominus populũ suum allocuturus prius jussit mundare & lavare vestimenta sua, ut ita Deo ad *Moysen* loquente astare possent, & quidem nec in monte ipso in quo Dominus *Moysi* loquebatur stare permittebat, sic enim ait *Moysi dices ad eos*: Ex. 19. *Cavete ne ascendatis in montẽ nec tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montẽ morte morietur manus non tanget eum, sed lapidibus obruetur aut confodietur jaculis.* Quod si tantam exegit puritatem & munditiam in lamina, in quo solum suum nomen inscribendum erat: si tantam sanctitatem in Levitis sacerdotibusq; sibi ministrantib⁹ & populo sibi solũ astituro: quãtam putamus exegerit sanctitatem puritatem & innocentiam in ea quæ meruit fieri habitaculum ipsiusmet filij unigeniti Dei: profecto oportuit eam ab omni peccati nævo esse immunem, decuit certe ut bene asserit *Anselmus tantâ hanc virginem puritate nitere qua major sub Deo nequit intelligi.* Et S. *Cyrillus Alexand.* lib. contra Nestorium *Temerarium* dicit *esse in MARIA Virgine propter filium ponere culpam aliquam vel peccatum.* Et denique S. *Hieron.* super caput decimum,

Eccle-

Ecclesiastis docet B. Virginem liberam fuisse ab omni peccato & cortice peccati.

§. 3.

PERCUSSIS à Phylistym Israëlitis quemadmodum narrat lib. 1. Regum cap. 5. capta quoque est ab ijsdem Arca Dei: *Phylistim autẽ* inquit textus *tulerunt Arcam Dei & asportaverunt eam à lapide adjutorij in azotum: Tuleruntque Philistym Arcam Dei & intulerunt eam in templo Dagon, & statuerunt eam juxta Dagon. Cumq; surrexissent diluculo azotij altera die ecce Dagon jacebat pronus in terra ante Arcam Domini. Et tulerunt Dagon & restituerunt eum in locum suum. Rursumq; mane die altera consurgentes: invenerunt Dagon jacentem super faciem suam & in terra coram Arca Domini caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen: porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo.* Pulcherrima profecto figura immunitatis in Beatissima Virgine ab omni peccato. Quid enim per Dagon idolum Philistinorum aliud quam peccatum quod hominem à Deo apostare facit, & in creatura ultimum suum finem ac Deum constituere intelligitur? quid ècontra per Arcam

Dei nisi Beatissima Virgo designatur? Hæc est enim teste *Ioanne Damasc.* serm. de Assumpt. B. Virginis *sacra & animata Arca Dei viventis quæ suum in utero gestavit artificem: Virgo immaculata quæ nullis terrenis est inquinata affectionibus, sed cælestibus educata cogitationibus* & S. *Albertus Magnus Regina cælorum* inquit *est Arca exultationis, &c.* De quibus latius in titulo Fœderis Arca. Quemadmodum ergo non poterant in eodem templo simul stare Arca & idolum, utpotè sanctitas & iniquitas, sic nec in B. Virgine potuit ullum esse peccatum : *Quæ enim conventio Christi ad Belial? Quæ societas luci ad tenebras?* Quid sanctitati cum iniquitate? hæc enim B. Virgo est Arca sanctificationis de qua per Prophetam dicitur, ps. 111. *Surge Domine in requiem tuam tu & Arca sanctificationis tuæ. Hortus revera conclusus quem ut* ait *Gregorius Nicomed.* Antistes *peccati cogitationes intrare non potuerunt.* Quam nulla unquam sequior invasit cogitatio sic attestante Doctore extatico *Dion. Carth.* qui serm. de Nat. Virg. glorioſæ ita de ea loquitur : *Tam copiosa gratia & virtus infusa est virgini summæ in utero matris quod numquam*

quam peccavit nec mortaliter nec venialiter, ita quod numquam in ea surrexit aliquis inordinatus motus sensualitatis aut fomitis, numquam illicita cogitavit, numquam mala affectio, numquam inordinatum verbum locuta est, aut negligentia aliqua ei subrepsit. Et quidem solam ipsam præter filium incarnatum hoc habuisse, quod non peccaverit unquam mortaliter vel venialiter: disertis verbis ostendit *Richard. de S. Vict.* inquiens *Nemo enim tam sanctus qui maculam non habuerit & defectum præter MARIAM, tota enim pulchra quam totam possedit gratia quia nullum in ea locum habuit peccatum. Quid enim vitij in ejus corpore aut mente vendicare sibi potuit locum* (inquit S. *Petrus Dam.* serm. de Nat. Virg.) *quæ totius divinitatis meruit esse sacrarium.*

§. 4.

QUod si summam & infinitam peccati turpitudinem & malitiam penitius consideremus, non utique mirabimur ab eo B. Matrem Domini exemptam fuisse, imo eximi debuisse: grave quidem malum inter temporalia mala censemus mortem imo juxta *Aristot.* omnium terribilium ter-

ribiliſſimum, & tamen tale ac tantum malum cum peccato comparari non valet: nam eſt peccatum quoque mors, ſed animæ: ſicut enim morte ſeparatur anima à corpore, à qua corpus vitam & omne bonum ſuum recipiebat, ſic per peccatum ſeparatur Deus ab anima qui eidem vitam gratiæ & omnia bona ſua communicabat. Unde S. *Bern.* ſerm. 15. in Cant. *An aliud* ait *eſt mors corporis, quam cum corpus ſenſu privatur & vita, peccatum quod mors animæ eſt, nec compunitionis mihi ſenſum nec confeſſionis reliquerat vocem & mortuus eram.* Quod ſi corporis mors adeò mala eſt, quid erit animæ mors? Cum mors corporis à morte animæ tantum diſtet, quantum ab anima corpus diſtat oportet. Denique per mortem homo corporis pulchritudinem amittit & ſummam contrahit deformitatem, unde quantumvis quis in vita corporis pulchritudine fuerit ornatus, ſit *Abſolon*, ſit *Helena*, ſit *Iezabel*, in morte omnis illa formoſitas abſceſſit & omnes oculos à tali corpore avertimus fœditatem illam non ſuſtinentes: quantam vero tu animæ peccatoris eſſe deformitatem cenſes? deformis ſi-

cut

cut diabolus est anima talis: Et hoc verissimum absque hyperbolica exaggeratione. Dicite enim cur diabolus adeo horribilis est? Tolle ab eo peccatum, Angelus erit, jungatur supremo Angelo peccatum, diabolus horribilis efficietur. Quod si tanta tãq; horribilis sit peccati deformitas, quis unquam credat Deum Deiq; filium unigenitum permisisse illo sanctissimam Matrem suam coinquinari? profecto tãti filij in tantam Matrem amor & honor hoc omnino ostendebant indignum: imo quod auget necessitatem hujus exemptionis est quod teste *Chrysost.* Hom. 30. *pejus sit peccare quam à Dæmone obsessum esse*: potest namque à Dœmone obsessus esse in gratia & manere amicus Dei: cum tamen existens in peccato mortali sit privatus gratiâ, infensissimus Dei hostis & inimicus. Et hæc mens ejus concordat menti Evangelistæ dicentis *Christum* è *Maria Magdal.* ejecisse septem dœmonia non quasi revera ipsa fuerit à septem dœmonibus corporaliter obsessa, sed quia mundaverit eam Christus à septem mortalibus, per quæ dœmonia septem intelligunt sancti Patres. Quis jam

tantæ sit impudentiæ, qui asserere audeat Matrem Domini sponsam & sacrarium spiritus sancti ac totius SS. Trinitatis templum, dœmonis spurcitiâ unquam fuisse spurcificatũ aut ab ipso dœmone obsessũ?

Mellifluus Doctor *Bernard.* miratur quam ob causam in festo gloriosissimæ Assumpt. B. Virginis Evangelio nulla *Lazari* mentio fiat, qui tamen germanus erat *Mariæ & Marthæ* de quibus ibidem fit mentio: Causamque esse arbitratur quia nimirum per *Lazarum* pœnitentiâ designetur, quæ in B. Matre locum non habuit, utpote quæ nullo peccato fuerit obnoxia: En verba ejus sunt serm. 2. in Assumpt. *Sed forte* inquit *curiosus quispiam requirat cur in præsenti Evangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat. Arbitror sane ne id quidem à proposita similitudine dissidere. Virginalem etenim domum intelligi volens, Spiritus sanctus siluit non incongrue pœnitentiam quæ malum utique comitatur. Absit enim ut proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Quod si originalem à parentibus maculam contraxit sed minus à Hieremia sanctificatam*

ficatam in utero, aut non magis à Ioanne Spiritu S. repletam credere prohibet pietas Christiana. Hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremo cum omnimodo constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse MARIAM, quippe cum & nunc in Baptismate sola hanc gratiam maculam lavet & sola eam raserit petra circumcisionis: ut omnino pium est credere proprium MARIA delictum non habuit, nihilominus ab innocentissimo etiam corde pœnitentia longe fuit. Sit ergo Lazarus apud eos quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari, secedat inter vulneratos dormientes in sepulchris ut in thalamo virginali inveniantur Martha & Maria tantum.

§. 5.

AT sanctitatem tantam & immunitatem ab omni peccato sanctissimæ Matri invidentes hæretici, varias adducunt S. Patrum authoritates, ex quibus manifeste videtur colligi B. Virginem etiam peccasse mortaliter, maxime tempore amarissimæ passionis unigeniti sui, & quidem in confirmationem hujus opinionis adducunt primo quidem authoritatem *Origenis* in *Lucam*, qui exponens verba *Simeonis: Et*

tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit: per gladium illum intelligit scandalum quod arbitratur B. Virginem passam in morte filij sui, verba ejus sunt: *Quid? putamus quod scandalisatis Apostolis Mater Domini à scandalo fuerit immunis? si scandalum in passione Domini non passa est, non est mortuus IESVS pro peccatis ejus. Si autẽ omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei justificati gratia ejus & redempti, utique & MARIA illo tempore scandalizata est.* Et subdit: *Pertransibit infidelitatis gladius, & ambiguitatis mucrone ferieris & cogitationes tuæ te in diversa lacerabunt.* Secundo loco adducunt *S. Chrysost.* in expositione psalmi 13. ita loquentem: *Quando Christus fuit crucifixus non fuit qui faceret bonum, discipuli omnes fugerunt, S. Ioannes nudus recedit: Petrus negat: ipsius MARIÆ Matris animum gladius dubitationis pertransijt.* Tertio adducunt *Theophilactum: fortassis autem* inquit ille *& dolorem quem in passione tulit, fortassis autem & scandalum dicit romphæam quo offensa fuit.* Eandem amplectitur interpretationem hom. de occursu Domini *Amphilochius*: quam tamen non esse consentaneam veritati arbitratur *Simeon Metaphrastes*

taphraſtes, imo MARIA indignam: Quod ſi attendamus ad rationem *Origenis* profectò hæc nullius momenti eſt, licet enim concedamus MARIAM fuiſſe innocentem & immunem ab omni peccato, hinc tamen non ſequitur Chriſtũ non eſſe mortuum pro ea: ſicut communiter conceditur *S. Ioannem Bapt.* & Prophetam *Hieremiam* non peccaſſe mortaliter & tamen omnes nihilomin⁹ concedunt Chriſtum pro eis mortuum. Adde *Origenem* in multis alijs turpiter hallucinatum fuiſſe imo in multis condemnatum ut hæreticum, ſicuti dum docuit Chriſtum quoque paſſum pro Angelis, pro ſyderibus, animam ejus in cælo beatam adhuc peccata noſtra lugere: dœmones aliquando ſalvandos & ſimilibus. Hinc & hæretici ſcilic. *Brentius* & alij non ſunt audiendi qui hanc *Origenis* opinionem ſunt ſecuti, & quia libenter derogant honori tantæ Matris. Ad authoritatem aliorum S. Patrum Reſp. vel quod ſit dubiũ an illi libri ſint ipſorum, vel cum D. *Thoma* quod in hoc puncto erraverint. Excuſari tamen quia ab, Eccleſia tunc temporis adhuc nihil circa hæc definitum fuit.

Maxime autem hæc sententia videtur detestanda: quia imponit B. Virgini ignorantiam Prophetarum, qui de Christi morte & cruce locuti sunt frequenter, vel ignorasse quod ipse ejus filius toties de sua morte & cruce prædixisset: Cum ut *Ioannes & Matthæus* testantur B. Virgo conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo, ut intelligamus jaculis previsis minus in morte ejus fuisse percussam. Ad hæc indigna videntur pro incussa tantæ Virginis fide quæ ejus virtutis nomine ab *Elisabeth* præsertim commendatur, & maxime quia in morte filij sui indecorum nihil infidelitatemve sapiens egisse narratur, sed tantum laudatur ejus constantia & imperturbatus animus, qui tam atroci mortis supplicio filium affici potuit spectare: Juxta quod dicitur de ea: *Stabat juxta crucem IESV Mater ejus*. De quibus plura in titulo *Regina Martyrum*.

CAPUT NONUM.

Encomium Marianum *Decimum.*

MATER AMABILIS.

REgresso Davide à glorioſissima illa Victoria qua Philistæum Goliathum

prostra-

prostraverat (ut narrat liber Regum primus) omnemque populum suum Israël ab extremis angustijs liberaverat: tanto in eundem amore exarsit *Ionathas* filius *Saul Regis* ut diligeret eum quasi animam suam. *Et factum est* inquit sacer textus *cum complesset David loqui ad Saul anima Ionathæ conglutinata est animæ David & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam. Inieruntq; David & Ionathas fœdus: Diligebat enim eum quasi animam suam.* Nam expoliavit se *Ionathas* tunica, qua erat indutus & dedit eam *David* & reliqua vestimenta sua usq; ad gladium & arcum sumim imo & usque ad baltheum. Nec minori dilectione diligebat *Ionathan David* hinc illæ lachrymæ & suspiria audita morte illius: *Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis & amabilis super amorem mulierum: sicut mater unicum amat filium suum ita ego te diligebam.* Magna profecto dilectio & amor: dum autem magnum illum & quodammodo infinitum amorem quo Virginem dulcissimam Matrem suam Deus dilexit ac diligit attendo longè eum video superare amorem *Ionathæ & Davidis* ut non immerito de eo quoq; asserreretur:

Dile-

Dilexit eam quasi animam suam: Nam expoliavit se propter eam tunica gloriæ & jucunditatis suæ è cælesti solio paternâ hæreditate, omnium Angelorum consortio descendens: Et quid mirum si tantum eam amaverit ametq; etiamnum cum ipsa omni amore sit digniſſima MATER AMABILIS merito nuncupata, quemadmodum in sequentibus videbimus.

§. 1.

INter omnia dona naturæ quibus Deus hominem ornat, vix ullum invenies quod ita hominum omnium ad se alliciat amorem quám pulchritudo: multum quidem delectat & allicit honestas & decentia morum ad excitandum amorem: magis & efficacius ad eundem excitat & allicit eloquentia, at maxime ad amorem trahit pulchritudo, *Quæ est rei quædam proprietas ex debita proportione consurgens*: Nam *amor* nihil est aliud *quam desiderium & affectus rerum pulchrarum*. Pulchritudo enim est veluti viscus omnium animos ad se trahens, ut non immerito dixerit *Publius Syrus*: *formosa species muta commendatio est*. Non possumus enim amare nisi pulchra. Quod si jam

si jam causam investigare velimus, ob quam cælestis sponsus tantopere B. Virginem amaverit & dilexerit, ut non immerito MATER AMABILIS sit appellata: ipsa ejus pulchritudo in causa est, quam totis Canticorum decursibus decantat, & quasi ad vivum describit, incipiens à vertice capitis usque ad plantam pedis: omniaque velut in compendio delineans: *Tota* inquit *pulchra es amica mea & macula non est in te:* ET iterum admirans ej° amabilitatem *quam pulchri* inquit *sunt amores tui Soror mea sponsa, quantò meliores sunt amores tui vino & odor unguentorum tuorum præ cunctis aromatibus?* Et iterum: *Quam pulchra* ait *facta es & suavis ô Amor in delicijs?*

Pulchritudo ut observant quidam in tribus potissimum consistit, nimirum in animo, in corporis proportione & dispositione, & in eloquentia. Alia enim corporis, alia animi est pulchritudo: *Sicut enim vigor animi* (teste *August.* Hom. 32. sup. *Ioann.*) *decorem facit in corpore, sic Deus in anima. Non enim facit corpus ut ametur sed anima: quæ cum emigraverit corpus arescit.* Et quantumvis illa membra pulchra dilexeris

sepe-

sepelire tamen satagis, decor ergo corporis est anima, decor animæ Deus. Utramq; hanc pulchritudinem & decorem in sponsa sua observat & deprædicat Sponsus cælestis: *Quam pulchra* inquiens *es amica mea quam pulchra es, oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet: Hæc jam dicta* inquit *Dionys. Carth. de nulla persona tam eminenter & convenienter possunt exponi sicut de Virgine gloriosa, cui sponsus & filius ait: quam pulchra es amica mea quam pulchra es: tanto planè pulchrior cæteris universis quanto in omni gratia virtute, dono, beatitudine, fructu perfectior, quanto purior, innocentior, & ab omni culpa immunior, quanto fonti totius pulchritudinis ac decoris propinquior, utpote vera Mater illius. Immo tam pulchra quod fons ille superpulcherrimus concupivit decorem istius, tamque jucunda & delectabilis fuit superspeciosissimo unigenito Patris æterni ad intuendum, ad convivendum, ad diligendum, quod in ea & cum ea præcunctis commorari & conversari elegit in terris: & sicut ille speciosus formâ præ filijs hominum, sic ista speciosa præ filiabus: ergo & præ filijs hominum post unicum suum filium, cujus oculi columbarum id est maxime columbini pu-*

ni pudicissimi plenissime custoditi, numquam inordinate aperti, numquam in aliquem indecenter directi aut fixi. Absque eo quod intrinsecus latet. En pulchritudinem interiorem hic commendare incipit sponsus, ac si manifeste vellet dicere: licet pulcherrima sis ô amica mea, quoad exteriorem corporis dispositionem, membrorumq; ordinatissimam proportionem, non tamen minor est pulchritudo tua interior juxta quod testatur Psalmista: *Omnis* inquiens *gloria filiæ Regis ab intus. Incomprehensibilis etenim sponsus* (prosequitur *Dion. Carthus.*) *munificentissimus optimus omnipotens Filius incomprehensibiliter secretissime, liberalissime operabatur, radiabat, communicabat se in matre. O quis queat excogitare vel capere qualiter verbum illud æternum quod suo claro intuitu Angelos sanctos felicitat mentem suæ dilectissimæ, capacissimæ ac innocentissimæ Matris assidue visitavit quam copiosissime omnia interiora ejus illuminavit, quam calidissime inflammavit ipsius affectum, quàm miro & ineffabili modo fidelissimam & affectuosissimam suam genitricem corroboravit, ornavit, perfecit, implevit, totaliter q; possedit? quidquid de perfectione raptus*

&

& extasis, quidquid de prælibatione & participatione futuræ beatitudinis fuit in alijs, multo eminentius in ea creditur extitisse. Et si quidam Sanctorum creduntur Deum in hac vita vidisse per speciem, cur non potius atque limpidius & forsan frequentius ac diuturnius ipsa? nonne charitas communicat se & ostendit se personæ singulariter familiarissimæque dilectæ. Hoc ergo latuit in virgine summa intrinsecus quæ utique cum fervore, devotione, puritate & stabilitate soli Deo nota & sibi vacavit, inhæsit intenta immersaque fuit: cujus interior incomparanda sinceritas, tranquillitas, sapientia, virtuositas resplenduit in vultu ipsius, eamque gratissimam, venustissimam & compositissimam fecit in omnibus.

§. 2.

MIrabiles omnino esse amantium ad invicem affectus & effectus tam clarum est ab experientia, ut probari non sit necesse, proinde non immerito dixit quidam: Amens sit omnis amans: eamque ob causam *Cupido* amoris Deus oculis obvelatis depingi consuevit, ad insinuandum amorem cæcare hominem, ut quid agat nesciat: Et ut hujus habeamus exemplum videre

dete mihi quæso adolescentem alicujus puellæ, aut Virginis irretitum amore, quid quæso talis non facit ut optatis aliquando potiatur amoribus, quæ pericula non subit quoties etiam morti se non exponit? *Leander* illustris ex *Abydo* juvenis (ut ex *Ovidio* refert *Drexelius*) quanta non est aggressus? Nam ut amoribus indulgeret Hellespontum mare sæpius tranavit non sine certo vitę periculo. Fuit ut furibundũ mare transitum omnem negaret, tunc juvenis moræ impatiens hebdomadam unam annale tempus reputans ait:

Parcite dum propero, mergite dum redeo.

Et quanta non sustinuit Patriarcha *Iacob*, ut cupitis pulcherrimæ *Rachelis* frueretur amplexibus: Docet hoc ipsum satis ipsa sacra historia & bene notat *Emmanuel thesaurus* inquiens

Magnus ex odio Iacobi labor, major ex amore Rachelis: conjugium,
Vnam videlicet servitutem, septenni servitute mercatur,
Bis igitur ut nubat, bis servit
Et liberos ut acquirat libertatem amittit.

Jam vero amorem quo erga B. Matrem ſuam ferebatur dulciſſimus unigenitus Dei ſi conſideremus, videtur (ſi ita loqui liceat) quodammodo extra ſe factus amore Virg. Matris non habito enim reſpectu ſuæ divinitatis & æqualitatis ac conſubſtantialitatis quam habet cum Patre & Spiritu ſancto: ad viliſſimam hominis naturam ſe inclinavit: *Qui cum in forma Dei eſſet* inquit Apoſt. *Paulus non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo.* Et quæ cauſa tantæ exinanitionis & humiliationis? Audacter dicam non alia quam amor decoris & pulchritudinis ſuæ delectiſſimæ matris: Teſtatur hoc ipſum ipſe Virginis filius in canticis exclamans ad eam, *Averte* inquiens *oculos tuos à me: quia ipſi me avolare fecerunt: quod proprijſſime poteſt accipi dictum à Chriſto ad ſuam dilectiſſimam Matrem:* (ait *Dion. Carth.*) *ad inſinuandum præcordialiſſimum valdeq; ſingularem ſuum amorem ad ipſam: quaſi amplius inſpiciatur ab ea ferre non queat præ vulneratione amoris: ut intelligatur per modum hyberbolicæ loquutionis*

nis amatorijq; sermonis: Amor ergo ille fuit quo B. Mater ad se traxit unigenitum Dei imo eum quodammodo superavit; hinc præinducta verba alio modo legit, *Rabbi Abraham* hoc modo: *Averte oculos tuos à me quia ipsi me avolare fecerunt* id est *quia ipsi abstulerunt mihi robur*: *Pagninus* legit *quia ipsi fortiores me fuerunt*: At vero *Greg. Nissenus* legit in hunc modum *quia ipsi alas addiderunt mihi*,: ac si diceret: *Tua pulchritudo ô Sponsa dulcissima, Mater amantissima tuus amor alas addidit mihi*: Invitavit ut venirem in terras humanamq; naturam assumerem. *O Charitas* exclamat proinde (*S. Zeno* Veronensis Episcopus) *quam potens es tu Deum in hominem commutare potuisti, tu virginali carcere novem mensibus relegasti*. Et *Hugo* lib. de charitate *Magnam vim habes ô charitas, tu sola trahere potuisti Deum de cælo ad terram ô quam forte est vinculum tuum quo Deus ligari potuit & homo iniquitatis vincula disrupit*: Et iterum *charitas exclamat Deum superavit & adduxit eum vinculis suis alligatum, adduxit eum sagittis suis vulneratum, ô charitas vulnerasti impassibilem æternum fecisti mortalem, &c.* Et nonne hoc ipsum testatur

ipsemet Dei filius in canticis: *vulnerasti* exclamans *cor meũ soror mea sponsa:* Quomodo vulnerasti ? nimirum ut bene notat S. *Bernardinus Senens.* tom. 2. serm. 51. artic. 3. cap. 4. *vulnerasti cor meum pro amore tuo carnem assumpti.* Unde omnia à nobis hucusq; dicta confirmare volens suo testimonio *Ioannes Gerson forma MARIÆ*, ait *tã grata fuit & tam incredibili formositate refulgens inventa est, ut concupisceret ipse formam servi.*

§. 3.

DOcent unanimiter Theologi, amantis voluntatem per amorem, trahi extra se ad rem amatam: non quasi revera voluntas trahatur extra suppositum, sed quod omnis ejus actus, omnis affectio omnisque intellectus cogitatio tendat in rem amatam ita, ut ubicumque sit, nil cogitet, nil spiret quam amorem, & affectionem ac appetitum rei quam diligit: in tantum ut multi propter amorem stulti fiant & insanire incipiant, quemadmodum patet in *Ammon*, qui ita deperibat amore suæ sororis *Thamar*, ut eam ob causam totus macresceret: Hinc bene dixerunt Philosophi & Theologi, *animam magis esse ubi amat*

quam

quam ibi animat, eò quod potius censeatur esse anima ubi sunt præcipuæ operationes suarum potentiarum, scilicet intellectus & voluntatis, quam ubi ipsa corpus informat. Amoris autem præcipuus actus est unio amantis cum amato, per quam scilicet ita sibi invicem conjunguntur, ut vix ad momentum ab invicem separari queant amantes. Talis revera nexus, talisq; unio, fuit inter filium Dei amabilemq; matrem ejus: tam enim pulchra & decora fuit MARIA, ut si verbum divinum incarnatũ quod nos redempturum venerat in mundum nõ discessisset aliquando ab ea, procul dubio incarnationis opus distulisset: *Ambrosium* Præsulem Mediolanensem testem appello: *Sic MARIAE pulchritudine* inquit *ille tenebatur Christus sic illius irretiebatur amore, ut nisi sibi vim inferret ab illa exire nequiret.* De *Iudith* vidua totius exercitus Assiriorũ debellatrice & triumphatrice, narrant sacrę paginæ, tantam fuisse ejus pulchritudinem, ut quotquot eam viderent in amorem ejus exardescerent, in tantum ut etiam totus exercitus Assiriorum assereret, *Non est talis mulier super terram in aspectu pulchritudine*

tudine & in sensu verborum. Et quid mirum? licet enim ex se summe pulchra esset, se festivissime & pulcherrimis vestimentis ornasset: insuper adhuc Dominus illi conferebat splendorem quoniam omnis illa pulchritudo, & ornatus, non ex superbia & libidine, sed pietate in patriam proficiscebatur. Magna & mirabilis quoque fuit pulchritudo Matris Dei, utpote quę ab instanti conceptionis fuit optime proportionata & disposita in membris suis in qua nimirum proportione, ut initio hujus capitis diximus pulchritudo consistit: Id quod bene notat *Dyonis. Carthus.* explanans hæc verba Canticorum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te:* in hunc modum differens *de pulchro ac pulchritudine Divinus Dionysius tractat subtiliter ac profunde cap. 4. De divinis nominibus divina inquiens bonitas laudatur in scripturis, ut pulchrum & pulchritudo quæ effectiva est omnis pulchri. In creaturis autẽ pulchrum dicitur, quod participat pulchritudinem. Loquentes verò de Deo dicimus quod ipse est substantiale pulchrum & pulchritudo quia pulchrificat existentia omnia secundum propriam singulorum proportionem, &*

causat

causat universalem omnium harmoniam & claritatem, & juxta proprietatem solaris radij, immittit cum fulgore universitati rerum pulchrificas suæ fontanæ lucis distributiones. Iuxta horum imitationem dicere possumus, quod sacratissima puerpera virgo MARIA est tota pulchra ad intuendum delectabilissima quæ suis meritis, precibus, virtutibus, fama, pulchrificat & decorat millia multa immo totam Ecclesiam, & causat in ipsis fidelibus concordiã lucẽ & charitatis unitatẽ, quàm fons totius pulchritudinis ex ea natus tantâ pulchritudine venusta vit, ut puræ creaturæ major communicari nequeat aut nõ deceat. Amplius ut ait Philos. ad hoc, quod homo sit corporaliter pulcher, tria requiruntur primo quod sit elegantis staturæ: ideo homines parvi non dicuntur proprie pulchri quamvis valeant dici formosi aut specioſi: secundum est congrua membrorum comproportionatio & habitudo ad invicem. Tertium est superficies vividi & congruentis coloris: quę conditiones sicut in filio incarnato, sic & in matre ejus modo proportionato fuerunt ut patet ex dictis & amplius patebit ex dicendis. Quamvis ergo talem pulchritudinem habuerit à

Nativitate B. Virgo, ſingularem tamen huic ſicuti & *Iudithæ* Deus addidit *pulchritudinem*, ſplendorem, magnificentiam & majeſtatem, ut quotquot illam viderent ſe quoddam naturæ prodigium & miraculum videre arbitrarentur: unde & *Dion. Areopagita* dum gratiam illam obtinuit quod eam cernere poſſet, tanto illius fuit obfuſcatus ſplendore, adeòque accenſus, tum in illius decorem cæleſtem qui ex facie ejus veluti ex ſole lucidiſſimo relucebat, tum in odoris fragrantiam, quam ſacræ ejus veſtes ſpirabant, ut præ nimio ſtupore animo ceciderit, ac nonnihil poſtmodum ad ſe reverſus dixerit. *Teſtor Deum qui aderat in virgine niſi me divina docuiſſent eloquia, hanc Deum verum credidiſſem, quoniam nulla videri poſſit major gloria beatorum quam felicitas illa quam ego tunc deguſtavi:* Huic item *Dionyſio* ſubſcribit alter ejuſdem nominis *Carthuſia*: ſerm. 3. in feria ſecunda Paſchæ. Vbi aſſeverare audet, quod omnia gaudia hujus mundi ſimul collecta comparari nequeant gaudio quod unuſquiſq; beatorum habet de B. Virginis MARIÆ præſentia & conſpectu, quod etiam quibuſdam electis & amato-

amatoribus ejusdem Virginis sanctæ datũ est in hac vita experiri, quibus ipsa virgo pijssima visibiliter apparere dignata est.

De *Moyse* Pharaonis Deo, Israëlitarum Duce & Antesignano, narrant *Iosephus* in lib. de antiquitatibus Judaicis, sicut & alij *Rabbini* Judæorum, eum dum parvulus esset tantæ fuisse pulchritudinis, ut homines certatim currerent ad videndum eum si quando in publico prodiret: similiter de *Salomone* inter Reges omnes sapientissimo referunt libri Regum, quod vultum ejus desideraret universa terra, ita ut *Regina Saba*, magno comitatu venerit, ad videndum eum, & auscultandam sapientiam illi°: faceſſant hinc *Moyses* & *Salomon* cũ sua pulchritudine. Ecce plus quã *Moyses* & *Salomon* hæc virgo pulcherrima, cujus non decorẽ solum universus mundus sed & ipse Deus concupivit toties exclamans, *Surge propera amica mea, formosa mea, columba mea, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Et manifeste *Bernardus* serm. 2. super missus ita inquiens: *Vt igitur quæ sanctum sanctorum conceptura erat pariter & paritura sancta esset corpore accepit donum virginitatis: ut*

esset & mente accepit & humilitatis. His nimirum Virgo Regia ornata gemmis virtutum, geminoq; mentis pariter & corporis decore praefulgida, specie sua & pulchritudine sua in cœlestibus cognita cœli civium in se provocavit aspectus, ita ut & Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret & cœlestem nuntium ad se de supernis educeret. Nec minori ferebatur orbis desiderio hanc ipsam cæli Reginam videre cupiens teste magno illo Mart. Christifero *Ignatio* qui in Epistola quam scripsit ad S. *Ioann. Evangelistam*, dicit: *Magnum fuisse concursum populorum cæli Reginam videre cupientium.* inter quos fuit & ipse *Dionysius Arcopagita.*

§. 4.

MAgna fuit gloria Salvatoris nostri in Monte *Thabor*, coram Discipulis transfigurati: *Resplenduit enim facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* sic & facies *Moysi* ex consortio sermonis Dei ita illustrata est, ut radios instar solis à se emitteret: in tantum ut non possent filij Israël, & intueri faciem ejus, sed velarent facies suas, si quando cum illo loqui contingebat. Interpretantes & cõmentantes

tantes in hunc locum *Ioseph non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: Math. 1. Nicolaus de Lyra, Glossa Hilar. & Orig.* causam hujus investigantes dicunt quod S. Joseph nequiverit intueri faciem B. Virginis, nec oculos suos defigere in splendidũ, & magnificum ejus vultum, ob nimium luminis splendorem ex eo relucentem: *quãdiu* ait *Origenes: Beata Virgo habuit in utero suo solem justitiæ, tantus fulgor exibat de facie ejus, ut Ioseph eam agnoscere & discernere non valeret, nec in ejus faciem intendere poterat, donec uterus ejus sit evacuatus.* Et S. *Epiphanus. Quoties* ait *Ioseph MARIAM aspiciebat splendorem à facie ejus in modum radij solis exire videbat, sicut à facie Moysis quando de monte Synai descendit, ubi cum Domino locutus fuerat.*

Ex quibus jam dictis facile erit colligere causam ob quam & cur MARIA tantopere ab omnibus tam peccatoribus, quam justis ametur, nimirum tota *Amabilis est*: Unde Mellifluus *Bernardus*, serm. super verba Apoc. signum magnum: *Quid* inquit *ad MARIAM accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in MARIA nihil terribile*

ribile tota suavis est omnibus offerens lac & lanam. Revolve diligentius Evangelicæ historiæ seriem universam & si quid forte increpatorium, si quid durum si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in MARIA de cætero suspectam habeas & accedere verearis. Quod si ut vere sunt, plena omnia magis pietatis & gratiæ plena mansuetudinis & misericordiæ quæ ad eam pertinent inveneris, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Deniq; omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinũ aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam: Deniq; tota Trinitas gloriam, filij persona carnis substantiam, ut non sit qui se abscondat à colore ejus. Et sermone panegyrico: *O magna* inquit *ô pia ô multum amabilis MARIA tu nec nominari quidem potes quin accendas, nec cogitari quin rerees affectum diligentium te, tu numquam sine dulcedine tibi divinitus insita piæ memoriæ portas ingrederis:* In eadem navi cum *Bernardo*

nardo navigat *Abbas* pientissimus *Ludovicus Blosius* Can.vit. spirit. cap. 18. sic inquiens: *Ipsa Regina cæli potentissima, ipsa dispensatrix gratiarum liberalissima, ipsa omnium fidelium mater misericordissima: Tota mitis est, tota serena, tota suavis, tota benigna, non solum justis & perfectis, verum etiam peccatoribus ac desperatis, quos ut ad se ex corde clamare conspexerit, statim adjuuat suscipit & fovet, & metuendo judici materna fiducia reconciliat: nullum aspernatur, nulli se negat omnes consolatur, omnibus sinum pietatis aperit & vel tenuiter invocata præsto adest. Sua ingenita bonitate atq; dulcedine sæpe eos, qui Deo minus afficiuntur ad sui cultum blande allicit potenterque excitat: ut per hujusmodi studium præparentur ad gratiam, & tandem apti reddantur regno cælorum. Talis est, talis à Deo facta est, talis nobis data est, ut nemo eam horreat, nemo refugiat, nemo ad eam accedere trepidet.* Verba prorsus amabilia & dulcissima quæ utinam omnium hominum cordibus intime insculpantur.

Amplius ad hanc Virginis amabilitatem ulterius considerandam non incongruum videtur hic adjungere dulcissimæ

hujus

hujus ac amabilis Matris ſpeciem, formam & ſtaturam ex *Epiphanio* deſumptam per *Nicephorum Calliſtum* lib. 2. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 23. Mores autem formæq; & ſtaturę ejus modus talis: inquit *Epiphan.* fuit. *Erat in rebus omnibus honeſta & gravis, pauca admodum eaq; neceſſaria loquens ad audiendum facilis, & per quam affabilis, honorem ſuum & venerationem omnibus exhibens: Statura mediocri, quamvis ſint qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem exceſſiſſe dicant. Decenti dicendi libertate adverſus homines omnes uſa eſt: ſine uſu, ſine perturbatione & ſine iracundia maxime. Colore fuit triticum referente, capillo flavo, oculis acribus, ſubflavas & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa & decenter nigra: Naſus longior, labia florida, & verborum ſuavitate plena facies non rotunda & acuta, ſed aliquanto longior; manus ſimul & digiti longiores. Erat deniq; faſtus omnis expers, ſimplex, minimeq; vultum fingens, nihil molliciei ſecum trahens, ſed humilitatem præcellentem colens. Veſtimentis quæ ipſa geſtavit coloris nativi contenta fuit, id quod etiamnum ſanctum capitis ejus velamentum oſtendit. Et ut pauces dicam*

in re-

in rebus ejus omnibus multa divinitus inerat gratia.

Sed si hæc ita se habent inquiet aliquis si tanta fuit hujus dulciſſimæ virginis pulchritudo, tanta amabilitas : Quid cauſæ quod illa ab Evangeliſtarum nullo deſcribatur, quod tantum de ea apud omnes ſit ſilentium. Reſpondet ad hanc quæſtionem vice noſtri *B. Albert. Mag.* Comment. ſuper Cant. poſtquam enim hujus Bm̃æ Virginis pulchritudinem, tam interiorem, quam exteriorem graphice depinxiſſet inquiens: quod ſicut Bmæ Virginis filius fuit ſpecioſiſſimus forma præ filijs hominum, ita ipſa pulcherrima inter filias, & filios hominum : habuit enim pulchritudinem quæ potuit eſſe in mortali corpore ; mox ſubjungit in hæc verba : *Quod autem Evangelium nihil ſcribit : de pulchritudine ejus una poteſt eſſe cauſa, quod cum Domina noſtra nobis poſita ſit in exemplum, & in ſpeculum ſalvos faciendi, non vult eam à talibus laudari, quorum inordinatus appetitus, vel uſus fuit multis & eſt hodie cauſa pereundi. Alia cauſa eſt ſicut angeli ſupremi à donis nobilioribus, laudantur & denominantur, & non ab inferioribus,*

quæ

quæ tamen in ipsis esse non dubitantur: Ita & B. Virgo donis spiritualibus plenissima, donis gratuitis nobilissima ita occupat animos laudantium, quod bonorum corporalium obliviscuntur: Tamen pro infallibili regula debemus habere, qui eam diligimus quod quidquid unquam bonitatis in aliquo sanctorum fuit, vel pulchritudinis, in ipsa hoc per excellentiam excreverit & per ipsam in eos.

CAPUT DECIMUM.

Encomium Marianum *Vndecimum.*

MATER ADMIRABILIS.

MAgnum & ante illa tempora inauditum fuit prodigium *Iosue 10.* quod ad vocem *Iosue* sol steterit nec perrexerit more suo ad occasum: *Tunc loquutus est Iosue ad Dominum in die qua tradidit amorrheum in conspectu filiorum Israël: sol contra Gabaon ne movearis & luna contra vallem Ajalon, steteruntq; sol & luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis, stetit itaq; sol in medio cœli, & non festinavit occũbere spatio unius diei. Non fuit ante & postea tam longa dies obediente*

Domino

Domino voci hominis & pugnante, pro Israël. Magnum revera prodigium. Nec minus illud: quod lib. 4. Reg. cap. 20. ad vocem orantis *Ezechiæ*, cui jam indicta mors à Domino: misertus Dominus ei vitam non solum ad quindecim annos prolongaverit, quin etiam quod majus est in testimonium promissionis solem in horologio Achaz decem gradibus retraxerit: magnũ & hoc ipsum miraculum, & non immerito inter mirabiliora Dei opera numerandum cum sol ex natura sua secundum *Mesalac* non sit planeta retrogradus, sed directè incedens: At longe & incomparabiliter majus illud, imò juxta omnes sanctos Patres incomprehẽsibile, quod solem illum justitiæ unigenitum filium suum in horologio diuinitatis decem gradibus, & lineis infra nimirum novem angelorum choros ad naturã usque humanam retrahat ac descendere faciat, illum Virginis filium esse decernat: ut nimirum divinitas & humanitas virginitas, & maternitas in hoc misterio obviarent sibi: ut proinde non immerito B. Virgo in qua hoc mysterium consummatum *Mater admirabilis* ab Ecclesia nominetur

vere admirabilis, ſive ſpectes conceptum filij Dei, ſive modum concipiendi, ſcil. ex Virgine immaculata & intacta, *A ſæculo* inquit *Bernardus non eſt auditum quod aliqua ſimul eſſet Mater & Virgo. Et ſerm. in Pentecoſte quis* inquit *vel ſatis miretur de partu virginali? ſi enim illud miraculum dicitur quod ordinarium naturæ curſum excedit, ſummum erit hoc, in quo ſumme naturæ limites tranſcenduntur, in quo fere innumera in unum concurrunt mirabilia* nam juxta *Berchorium.*

In hoc myſterio cernitur
- *Longitudo brevis*
- *Latitudo auguſta*
- *Altitudo ſubdita*
- *Profunditas plena*
- *Lux non lucens*
- *Verbũ non fans ſed infans*
- *Aqua ſitiens*
- *Panis eſuriens.*

Hic videbis
- *Potentiam Regi*
- *Sapientiam inſtrui*
- *Virtutem ſuſtentari*
- *Triſtitiam lætitiam*
- *Pavere fiduciam*
- *Salutem pati.*

Forti-

Hic videbis
- *Fortitudinem infirmari*
- *Vitam mori*
- *Tristitiam lætificantem*
- *Pavorem confortantem*
- *Passionem salvantem*
- *Infirmitatem roborantem*
- *Mortem vivificantem.*

Ut non immerito tantis encomijs hoc mysterium summe mirandum extulerint S. Patres. Vas electionis S. *Paulus* dicit esse *mysterium quod absconditum fuit à sæculis & generationibus. S. Cyrill. Alexand. esse sacratissimum ænigma. S. Petrus Dam.* S. R. E. Card. Episc. Ostiens. serm. de Annunt. ipsum *novum nouorum appellat* conformiter ad mentem Prophetæ: *Creavit Dominus novum super terram fœmina circumdabit virum.* Quod si incarnationis mysterium enucleare vellemus certe omnem operam perderemus, at intentionis nostræ est solummodo explicare titulum, initio capitis propositum MATER ADMIRABILIS & breviter quædam quæ ex parte B. Virginis divinæ Incarnationis ministræ admiranda occurrunt adducere.

Et primo quidem prorsus *Admirabilis*

est *Mater* in hoc, quod ipsa genuerit filium Dei, creatura Creatorem, ancilla Dominum: tantæ hoc enim sublimitatis est, ut idipsum intellectus nullus humanus sed nec Angelicus attingere queat, oculi eorum hic caligant: Nam *quod verum Deum, & Dei filium MARIA genuit* inquit *Bernard. ut idem ipse sit Dei atq; hominis filius: unus omnino Deus & homo, prodiret ex MARIA, abyssus est luminis nec facile dixerim quod vel Angelicus oculus ad hujus fulgoris vehementiam non caliget*: Hinc Angelus B. Virgini incomprehensibile hoc mysterium investiganti ac dicenti: *quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi: ne me interrogaveris* inquit *supra me est & non potero ad illud, Spiritus S. non Angelus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, non ego. Ne steteris vel inter Angelos Virgo S. sublimius aliquid sibi ministerio propinandum sitiens terra præstolatur. Paululum cum pertransieris eos invenies quem diligit anima tua. Spiritus sanctus superveniet in te, ac si manifeste dicat: Quid à me requiris quod in teipso mox experieris? sciens scies & feliciter*

liciter scies sed illo doctore quo & auctore. Ego autem missus sum nunciare virginalem conceptum non creare; nec potest doceri nisi à donante nec potest addisci, nisi à suscipiente: modum enim illum quo de spiritu sancto concipies, Dei virtus & Dei sapientia sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur & tibi, ut non immerito exclamet mellifluus *Bernardus, quis enim excepta fortassis illa quæ hoc sola in se felicissime meruit experiri, intellectu capere ratione discernere possit qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis sese visceribus infuderit, & ut illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset de portiuncula ejusdem corporis, cui se anima contemperavit reliquæ massæ umbraculum fecerit?*

§. 2.

SEcundum ob quod non immerito *Mater Admirabilis* nuucupatur, quod scilicet sit Mater & Virgo: Magnum atque à sęculo inauditum miraculum, in cujus contemplatione tot hæresiarcharum oculi caligaverunt, & in abominabilem hæresum latrinam prolapsi sunt, metientes Dei potentiam sui ingenij mensurâ & longitudi-

ne. Et licet hanc hæresim contra Bm̃am Virginem *Nestorius* alijque excitarint ante longa tempora, inventi tamen sunt qui antecedenti sæculo eandem jam diu sepultam è cineribus excitarint gaudentes se Antimarianorum nomine insigniri eo nixi fundamento, quod supra ex S. Patribus refutavimus, scilicet quod MARIA tres filios habuerit, cum in scriptura Christus Dominus fratres habuisse dicatur. En tales filios insignis ille Pseudo Proph. & Evangelista *Luther*, genuit: quas blasphemias horũ serpentis à B. Virgine contriti filiorum ex *Florim. Remundo*, in lib. 3. ortus & interitus hæresum cap. 16. hic adscribamus: *Scias ergo MARIA* inquit *Philippus Melanchton* primus *Lutheri* discipulus *te non plus à me æstimari aut fieri quam aliam peccatricem fœminã. Virgo hæc* inquit *Brentius peccatrix fuit in vita sua & personæ punitione digna, æque ac Adam aut ullus alius homo. Ipsa peccatũ aliquod commisit* inquit impijssimus & blasphemus *Spangenbergius ob quod eam Deus æternaliter puniturus est. Æternam damnationem promerita est* inquit pessimus *Brencius eo quod juxta assertum Oecolampadij superba & ambitiosa fuerit:*

rit: Et ut unico verbo collectores harum hæresum audiamus: *Omnes sancti Patres* inquiunt *erraverunt qui asserere ausi sunt singulari privilegio B. Virginem ab omni peccato fuisse immunem, & quod nulla imperfectio in ejus anima locum habere potuerit*: Sed & *Calvinus* ut quoque suum contra sacratissimã Dei matrem una cum tot hæresiarchis pestilentissimis venenum effutiat: *Si* inquit *ipsa fecerit votum castitatis, certe Deum ludibrio habuit*: Et alio loco ei affingit, *quod ex malitia voluerit Deo præscribere terminum suæ omnipotentiæ. Videtur* inquit *sancta Virgo Dei omnipotentiæ voluisse metam imponere ex magna malitia sicut fecerat Zacharias.* Accedit *Calvino Petrus martyr* ejusdem farinæ cum ipso hæreticus, *non est* inquit *credendum ipsam semper mansisse virginem.* Et deniq; *Beza cur* inquit *hoc crederem cum non habeatur in sacris litteris*: Sed his blasphemijs ut reor satis supra satisfactum est in encomio tertio: concludo ergo verbis Divi *Ambrosij obstruatur ergo os omnium maledicorum sileat hæresis, ne ineptum quid contra Dei Matrem effutiat.* Continuetque Ecclesia Canticum suum dicens:

Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei
Intacta nesciens virum
Verbo concepit filium.
Castæ parentis viscera
Cœlestis intrat gratia.
Venter puellæ bajulat
Secreta quæ non noverat.

§. 3.

MAgnum miraculum olim *Moysi* demonstratum est cum progressus ad interiora deserti à longe conspiceret rubum ardere, nec tamen comburi, ut admirans diceret: *Vadam & videbo visionem hanc magnã quare ardeat rubus & non comburatur*, nec minus quod Apoc. 12. vidit Evang. *Ioannes: signum* inquit *magnum apparuit in cælo mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus & in capite ejus corona stellarum duodecim:* ambo hęc miracula intuens *Bern.* hęret præ admiratione, attendens non tam ipsa, quã illam cujus hæc figuræ erant B. virginẽ: hæc est enim quã rubꝰ ille ardens, nec tamen adustionem patiens significabat: hæc mulier illa amicta sole justitiæ, quam signum illud magnum Apocal. præfigurabat hanc *Gedeonis*

deonis vellus, *Aaronis* virga & innumera alia miracula ſcripturæ indicabant : *Vides* inquit Bernard. *Hom. 2. ſuper Miſſus quam pulchre & concorditer ſanctorum mira facta & myſtica dicta ſibi invicem concinant ? vides quam ſtupendum ſit hoc unum de virgine & in virgine factum miraculum quod tot miracula prævenerunt, tot oracula promiſerunt ? unus nimirum fuit ſpiritus Prophetarum : & licet diverſis modis & ſignis & temporibus eandem rem diverſi, non diverſo ſpiritu & prævideruntt, & prædixerunt. Quod Moyſi monſtratum in rubo, & igne, Aaroni in virga & flore: Gedeoni in vellere, & rore: hoc aperte Salomon prædixit in forti muliere & ejus pretio: apertius Hieremias præcinit de fœmina & viro. Apertiſſime Iſaias declaravit de Virgine & Deo, Gabriel tandē exhibuit ipſam ſalutando.* Et ſerm. in verba Apocal. *Sed forte miraris* inquit *non tam vellus opertum rore, quam amictam ſole mulierem. Magna ſiquidem familiaritas ſolis & mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura ſubſiſtit? merito quidem admiraris Moyſes ſancte & curioſius deſideras intueri. Veruntamen ſolve calceamenta de pedibus tuis & involucra pone carna-*

lium cogitationum si accedere concupiscis. Vado inquit & videbo visionem hanc magnam. Magna plane visio rubus ardens sive combustione magnum signum mulier illæsa manens amicta sole. Non est rubi natura opertum undiq; flammis manere nihilominus incombustum : non mulieris potentia, ut sustineat solis amictum. Non est virtutis humanæ, sed nec angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria est. Spiritus sanctus inquit superveniet in te, & virtus non mea, non tua, sed altissimi obumbrabit tibi. Nihil itaq; mirum si sub tali umbraculo talis etiã à muliere sustineatur amictus. Mulier inquit amicta sole plane amicta lumine sicut vestimẽto. Candidissimus sane sed & calidissimus hujus mulieris amictus cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum sed obscurum saltem vel minus lucidum sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari.

§. 4.

ET sane hanc admirabilem Matrem solito altius contemplans aureum eloquentiæ flumen, *Chrysostomus magnum* ait *revera miraculum fratres dilectissimi fuit beata semper Virgo MARIA. Quid namq; illa ma-*

jus

jus aut illustrius ullo unquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit? Hæc sola cœlum ac terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non throni, non Dominationes, non Seraphim non Cherubim, non denique, aliud quidpiam inter res creatas visibiles aut invisibiles majus aut excellentius inveniri potest. Eadem ancilla Dei est & Mater: eadem Virgo & genitrix. Hæc ejus mater est qui à Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli & homines agnoscunt Dominum rerum omnium. Visne cognoscere, quanto Virgo hæc præstantior sit cælestibus potentijs illi cum timore & tremore assistunt faciem velantes suam: hæc humanum genus offert illi quem genuit. Hucusque *Chrysost.*

Merito ergo dixit *Ioannes Damasc. omnium novorum mâxime novum est Incarnatio Dominica: novum enim fecit Dominus super terram* ait *Bernardus ut mulier circumdaret virum & non alium quam Christum de quo scriptum est, ecce vir oriens nomen ejus* vere novum: quod enim mulier infantem circumdet novum non est sed usitatum: virginem vero virum perfectum & plenum gratiæ

tiæ & veritatis circumdare & qui Deus sit inauditum & maxime novum est. Tunc enim quod dici solet, completum est.

Sphæra centro clauditur,
In centro jacet circulus,
De vase prodit figulus,
Fontem excedit rivulus,
Pars excedit totum,
Lux monstratur per ignotum,
Stella parit solem,
Virgo sancta sæculorum Salvatorem.

Recte autem dixit Propheta *circumdabit*: quia totum suum est in quo viri opus non fuit. Id enim dicimur circumdare, quod nostrum est, non quod alienum. Figura etiam circularis unica linea contentatur, ita Christus ex Matre tantum constat cum reliqui omnes duabus lineis, nimirum Patre, & Matre constituantur.

Et licet plurima alia sint quæ in Admirabili Matre nostra miremur, suspiciamus ac veneremur, quod nimirum ipsa sola à gravissimo illo parturientium mulierum maledicto: *In dolore paries filios tuos* inveniatur immunis: quod sola ipsa evaserit commune totius generis humani debi-

tum

tum à Deo in omnes fulminatum, scilicet *pulvis es & in pulverem reverteris*. Et plurima alia quæ brevitatis causa præterimus: est tamen adhuc unicum quod jure merito cum mellifluo *Bernar.* in Admirabili Matre nostra miremur, scilicet conjunctionem summæ humilitatis cum summa dignitate: *Quæ* ait *Bernardus: Est hæc virgo tam venerabilis ut salutetur ab Angelo: tam humilis ut desponsata sit fabro? pulchra permixtio humilitatis & virginitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima in qua & humilitas commendat virginitatem & virginitas exornat humilitatem, sed quanta putas veneratione digna est in qua humilitatem exaltat fœcunditas & partus conservat virginitatem? felix MARIA cui nec humilitas defuit nec virginitas. Et quidem singularis virginitas quam non temeravit sed honoravit fœcunditas: & nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit sed extulit fœcunda virginitas: & incomparabilis prorsus fœcunditas quam virginitas simul comitatur & humilitas. Quid horum non mirabile? quid non incomparabile? quid non singulare? mirum vero si non hæsitas in eorum ponderatione quid tua judices dignius admiratione, utrum*

potius

potius sit stupenda fœcunditas in virgine, an in matre integritas: sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas; nisi quod indubitanter horum singulis præferenda sint simul cuncta & incomparabiliter excellentius est atque felicius omnia percepisse quam aliqua. Et quid mirum si Deus qui mirabilis legitur & cernitur in sanctis suis mirabilem, se exhibuit in matre sua? Et infra serm. 4. super missus explicans verba : *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum, semper* inquit *solet esse gratiæ divinæ familiaris humilitas. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliter ergo respondet ut sedes gratiæ præparetur: Ecce* inquit *Ancilla Domini: Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloriæ nescit? Mater Dei eligitur & ancillam se nominat. Non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria oblivisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abjectione: Magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.* Et iterum serm. super verba Apoc. signum magnum : *Nec in sola* inquit *taciturnitate MARIÆ commendatur humilitas, sed evidentius resonat in sermone. Audierat:*

rat: quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei. Et nihil aliud quam ancillã ejus se esse respondit. Inde ventum ad Elisabeth & continuo virginis gloria singularis eidem per spiritum revelatur. Denig; & mirabatur personam venientis dicens: *Vnde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me. Commendabat & vocem salutantis adijciens. Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beatificat fidem credentis. Beata quæ credidisti quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Magna præconia quidem, sed humilitas devota nihil sibi passa retinere in eum magis refudit cujus in se beneficia laudabantur. Tu* inquit *magnificas matrem Domini sed magnificat anima mea Dominum. In voce exultationis meæ filium perhibes exultasse in gaudio: sed exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: & ipse quoq; tanquam amicus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicis quæ credidisset: sed credulitatis & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam dicant me omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus.* Hucusq; Doct. mellifluus, qui non iñerito & summe miratur, & summe su-

spicit

ſpicit ac deprędicat tantã (& cui non eſt par inveniri) humilitatem. Profecto rara avis in terris nigroque ſimillima cigno. Et merito hæc humillima virgo facta eſt noviſſima prima quæ cum prima eſſet omnium ſeſe noviſſimam faciebat. Merito facta eſt omnium Domina quæ ſe omnium exhibebat ancillam: Merito deniq; ſuper omnes angelos exaltata eſt, quæ & infra viduas & & pœnitentes, infra eam de qua ejecta fuerant ſeptem dœmonia ineffabili ſeſe manſuetudine inclinabat.

CAPUT VNDECIMUM.

Encomium Marianum *Duodecimũ et Decimum Tertium.*

MATER CREATORIS & SALVATORIS.

NOn immerito quis quærat cauſam, cur B. Mater Dei tam diverſis nominibus in idem quodammodo incidentibus honoretur: Dicitur *Mater Chriſti, Mater divinæ gratiæ, Mater Creatoris, Mater Salvatoris,*

vis, ac si hæc omnia essent diversa cum tamen in unam eandemque personam Virginis unigenitum Christum Dominum cadant: Et respondendum hoc fieri propter diversas excellentias, quas illa diversa nomina exprimunt? Alia est enim excellentia conveniens Christo in quantum Deus; sic enim est omnipotens, immensus, æternus, immortalis, incomprehensibilis, &c. Alia autem conveniens eidem in quantum homo: sic enim dicitur filius hominis, filius B. Virginis, mortalis, &c. Itaque quia illa nomina in Christo diversas dicunt excellentias, etiam illas suo modo refundunt in Bm̃am Virginem, in quantum ipsa est Mater ejus, cui omnes istæ excellentiæ conveniunt.

§. 1.

NArrat *Isidorus* quod antiqui videntes terram esse matrem nutricem & productricem omnium, eam in numero Deorum suorum, & Dearum collocaverunt, ac ut Deam venerari cœperunt, quam ut ad vivam ad instar Deæ ostenderent, imaginem erexerunt quam almam Matrem appellaverunt, sedentem in medio curr°, clá-

vem, & tympanum in manibus ejus tradentes: in capite autem ejus coronam de turribus imposuerunt, galliq; & aves illam sequebantur ac ante faciem ejus leones prosternebantur. Per hanc imaginem convenientissime B. Virgo designatur ab Ecclesia peroptime salutata & dicta *Alma* redemptoris *mater*: vere nutrix, mater, & productrix omnium: per hoc enim quod facta est mater Creatoris & Salvatoris omnium, etiam aliquo modo causa est concurrens ad omnium nostrum recreationem & salvationem.

Matrem ergo Creatoris hanc Bm̃am Virginem, sicut & Matrem Salvatoris salutat Ecclesia: non solum quia eum genuit, qui est creator & salvator universorum, sed etiam quia & ipsi à filio aliqualiter com̃unicata est excellentia his encomijs significata, Bm̃æ siquidem huic Matri Deus aliquot specimen sive omnipotentiæ com̃unicasse videtur, idque ex duobus S. Script. locis clare perspicere licet. Gen. 1. processerat Deus ad creationem mundi: & in creatione illius quamlibet cteaturam unico illo verbo, *fiat*, producebat: *fiat* inquit *lux*

& facta

& facta est lux , fiat firmamentum in medio aquarum & dividat aquas ab aquis factumq; est ita: Et discurendo per omnes creaturas inveniemus Deum eas per unicum illud verbum produxisse: unica tantũ supererat, & inter omnes alias nobilissima creatura scilicet *Adam*, in cujus creatione ordinem istum mutavit & jam non dixit *fiat*, sed *faciamus* inquit *hominem ad imaginem & similitudinem nostram* &c. Et licet hunc modum in creatione *Adami* observarit, attamen illũ in efformatione novi *Adam* Christi Domini & in incarnatione illius mutatum esse apud *Evang. Lucam* invenimus : ubi non dictum *faciamus*, sed *fiat, ecce* inquit Beatiss. Mater novi illius *Adami*, *Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum* : gravissimus quidam nostri temporis author causam illius investigat : quare scil. Deus in productione aliarum creaturarum dixerit *fiat*, in creatione autem hominis, *faciamus*, è contra verò ipsa Bm̃a Virgo non dixerit *faciamus* sed *fiat*. Si enim voluntas MARIÆ Deo conformis erat de quo dubitandum non est, debebat utique cum Deo dicere, *faciamus* & non *fiat*: Respondetq; idem Author,

id non esse mirum quandoquidem generatio temporalis Christi Domini ex MARIA Virgine modo supernaturali & extraordinario videlicet sine concursu maris ad modum generationis æternæ fieri debebat: sicut enim pater æternus genuit ab æterno filium absq; concursu matris, adeoq; & patris, & matris simul functus est officio, ut non immerito dictus sit à S. Sinesio Patri mater: sic debebat Beatissima Virgo in terris temporaliter generare filium, sine concursu maris, ac ita esse matri pater, ut sicut in cælis essentia divina communicata est tribus personis, ita in terris à B. Virgine communicaretur una persona duabus naturis. In cælis fecit Pater, quod Pater filius & Spiritus sanctus sint unus Deus, & in terris ipsa effecit, quod Deus & homo sint unus solus Christus. Et quemadmodum in creatione mundi quando Deus hoc voluntatis actu: fiat creabat solem, Spiritus Domini ferebatur super aquas: sic Bma Virgo in generatione solis justitiæ Christi Domini, quando per hunc actum voluntatis fiat præbuit consensum Archangelo Gabrieli Spiritus sancti obumbratur gratia. Vt ergo Spiritus sanctus indicaret Bmæ Virgini per hoc quod esset facta Mater Dei communicatam fuisse talem potentiam, quæ æmula esset potentiæ

tentiæ & omnipotentiæ divinæ, & quodammodo infinitam, ipsamque Matrem Dei esse in terris velut alterum Deum: Ideo illud fiat non usurpavit Deus in creatione hominis, sed illud Beatissimæ Matri filij sui reservavit. Quæ proferendo divinum illud fiat, simul proferret & conciperet verbum divinum. Assentitur huic conceptui nostro *Divus Ambrosius* inquiens *incomprehensibilis Deus incomprehensibiliter operabatur in Deipara in qua erat gratia labiorum.* Sed longe clarius *Rup.* in Cant. *Nutriebatur* inquit *filius, & non inveniebatur pater, messem reddebat Mater quæ semen non acceperat, & quis non audebit Deiparam quasi Deum appellare?*

§. 2.

QUemadmodum autem filius DEI Matrem suam honoravit aliquali omnipotentiâ creandi prærogativâ; sic eam quoque singulariter elegit, tanquam cooperatricem ad redimendum, & salvandum universum genus humanum: ipsa enim indirecte & remote concurrit ad redemptionem & salvationem, merito ob hoc *Mater Salvatoris* appellata. Licet enim Christus Dominus solus Redemptor, principalis existat & Salvator noster, qui de seipso as-

ſerit per Prophetam: *Torcular calcavi ſolus & de gentibus non eſt vir mecum* Iſaiæ c. 63. cum hoc tamen ſtat Bm̃am Virginem aliquo modo cooperatam eſſe ad eandem: ita communiter SS. Patres eam ut *Salvatricem & Redemptricem* invocant & appellant *Auguſt. ſerm. 55.* De Sanctis inquiens: *MARIA primæ Matris damna reſolvit, hæc homini perdito redemptionem adduxit: Mater generis humani pœnam intulit mundo, genitrix Domini noſtri ſalutem intulit mundo. Auctrix peccati Eva, Auctrix meriti MARIA: Eva occidendo obfuit, MARIA vivificando profuit.* Et *D. Ambroſius Epiſt. 81. Per mulierem* inquit *cura ſucceſſit per Virginem ſalus evenit*: Et *Epiſt. ſeq. Virgo* inquit *genuit mundi ſalutem, virgo peperit vitam univerſorum.* Et denique *Epiſt. 41. Operata eſt* ait *ſalutem, & concepit redemptorem univerſorum.* Nimirum ut ait *Petr. Dam. per ipſum cum ipſa & in ipſa totum hominem eſſe reſtauratum decernitur, ut ſicut ſine ipſo factum eſt nihil, ita ſine ipſa nihil refectum ſit.* Quod ſi per ipſam reſtaurata ſunt omnia; ipſa ſalutem invenit, ipſa vivificando profuit, ut loquuntur jam citati ſancti Patres: An non merito ipſa appellari poterit

rit *vivificatrix, salvatrix, cooperatrix salutis universorum.* Inde ergo tam excellentia elogia, quibus eam & alij SS. PP. exornant *Irenæus* audet *MARIAM* dicere *universo generi humano esse causam salutis. S. Germanus Patr. & Seraph. Bonav.* asserunt *neminem salvum fieri nisi per virginem:* in idem consentit *Anselmus* in Encomio primo citatus. Mellifluus *Bernard.* numquam non liberalissimus in Encomijs *Marianis*, sicut in alijs sic & in hoc puncto summis eam laudibus effert serm. enim 4. in Assumpt. *Hæc est enim* ait *quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit* : Et paulò infra *Per te* ait *cœlum repletum infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cœlestis Hierusalem: expectantibus miseris vita perdita data.* Sic & S. *Sabbas* Abbas eam inclamans *salva me* ait *quæ Salvatorem Christum ineffabiliter protulisti. Te quippe sum nactus unicum animæ meæ solatium, & illud plane divinum* : *Tu me igitur redime à numquam morituro verme & ardoribus sempiternis.*

Gravissime ferunt hæretici nostri temporis, infensissimi tantæ Virginis hostes, & *Anti Mariani*, quod his similibusve titu-

lis eam honoremus. *Quid* inquiunt MARIAM *habetis peo Dea, siccine spem vestram in homine ponitis? Indignantur frendent quod eã appellemus spem vitæ conciliatricem q; salutis.* Sed aptissime ad hæc respondet *Blosius: non adoramus eam inquit ut Deam, sed ut Dei Matrem Deo proximam veneramur (quam vis non immerito Dea dici queat cum sancti in scriptura vocentur Dij) non sic constituimus spem nostrã in homine, non ita confidimus in MARIA quasi ipsa quod est, id quod habet, id quod potest non acceperit à Domino: sed confitemur eam posse omnia in eo, quem enixa est. Dedit creator creaturæ filius matri ineffabilem quandam potestatem & eam singulari privilegio honorare voluit: ob idque salutis spem in illa collocamus, non quidem ante Dominum, sed post Dominum.* Sed & *Petrus Canis.* lib. 5. cap. 11. ostendens causam cur MARIA antedictis titulis honoretur: *faciunt sæpe patres* ait *quod in scripturis divinis est usitatum, ut quæ soli Deo secundum sensum absolutum competunt: cum ad alios sanctos tum ad* MARIAM *extendant. Nonnumquam per amplificationem & exaggerationem loquuntur, suaq; semper in sensum aliquem pium & commodum accipi postulant*

lant, qui cum Ecclesiæ communi judicio quadrat. Apud Paulum certe scriptum est de Christo ad Hebr. 1. factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Irenæus l. cont. Valent. cap. 23. MARIA ait *virgo sibi & universo generi humano causa salutis facta est.* Quæ verba clarius explicans *Dionys. Carth.* lib. 2. de laud. virg. art. 8. *Si quando* ait MARIA *mundi salvatrix dicatur, non id propter efficientiam dicitur (quia nec salutem, nec gratiam ipsa efficit) sed propter subventionem: quoniam apud Deum gratiam, ac felicitatem nobis precatur, atque procurat.* Atq; hoc sensu eruditissimus *Rutilius Benzonius* Episc. *Lauretanus* lib. 6. de Anno Jubilæi cap. 22. *pijssimo mentis impetu* ait: *Beata Virgo causa universalissima est ad quam omnia creata, sive naturalia, sive supernaturalia referuntur: nec gratiæ cujuscumq; ordinis, etiam gratis datæ ullis conceduntur, nisi per* MARIAM. *Nihil enim impedit fides (pergit Canisius* l. citat. cap. 7.) *quo minus Encomion Christo uti Deo ac æternæ sapientiæ proprie competens, ejusdem matri utpote sponsæ, & mulierum omnium præstantissimæ secundario communicetur: hinc enim Christo fonti bonorum adeo nihil decedit honoris &*

gloriæ, ut potius ejusdem gloria illustretur, & augeatur cum attributa (quæ ipse ex omni æternitate habuit) eorumq; participationem parenti suæ aliquo modo elargiri dignatur, quando ei præ cæteris electis gratiæ plenitudinem, æternæq; gloriæ consortium tribuit, ac eandem sanctorum omnium lectissimam, præstantissimam & honoratissimam reddidit, in qua verbum æternum caro fieret & cum donis suis amplissimis jucundissime habitaret.

CAPUT DUODECIMUM.

Encomium Marianum *Decimum quartum.*

VIRGO PRUDENTISSIMA.

INter nobilissimas fœminas quas ob singularis eloquentiæ prærogativam S. extollit historia, non postremo loco habenda prudentissima & formosissima *Abigail Nabalis* conjux, cujus tantum apud *Davidem* valuit & eloquentia prudens & prudentia eloquens, ut eum jam sanguini *Nabalis* inhiantem & ad ejus sanguinem effundendum cum exercitu properantem: ita commoverit ut deposita omni feritate, eum ex

lupo

lupo in ovem, & ex leone in agnum quasi mansuetissimum converterit: Magna eloquentia & magna prudentia: At longe eas & quasi infinitis gradibus transcendit prudentia, & eloquentia beatissimæ Matris Domini, congruentissime ab Ecclesia VIRGO PRUDENTISSIMA nuncupata. Et item in Antiph. ad Magn. in festo Assumpt. *Virgo* inquiens *prudentissima quo progrederis quasi aurora valde rutilans. Non est hæc* inquit *Bernardus de numero fatuarum virginum, virgo prudens lampadē, habet, sed in vase oleum portat, Princeps est* teste *S. Ephrem omnium prudentissima & sagacissima.* Et quid mirum? hæc est illa vera & prudentissima *Abigail* per priorem præfigurata quæ teste *Alberto* Magno *est refrænatrix iræ Dei, quoad peccatores quæ David id est Christum ab interfectione æterna Nabal stulti seu peccatoris refrænavit, pro illo se ad pedes filij sui humiliando & dicendo in me Domine sit iniquitas hæc, malitia autem non inveniatur in te, sed potius bonitas diffusiva, pietas ad condonandum & misericordia attractiva. In cujus prudentia & eloquentia motus David Christus inquam ait ad eam ejus intercessione placatus. Benedictus*

Domi-

Dominus, qui te misericordissimam & prudentissimam hodie misit in occursum meũ, ad placandum ad refrænandum, ad componendum inter me & peccatores. Et benedictum eloquium tuum plusquam omnium Angelorum, imo omnium Sanctorum. De quo dicitur Psal. 104. *Eloquium Domini inflammavit eum misit rex & solvit eum scilicet peccatorem. Et benedicta tu, quæ prohibuisti me sævissimum contra peccatores. Et nisi cito venisses in occursum mihi, continuo intercessionem & reconciliationẽ peccatorum assumendo, non remansisset Nabal idest peccator usq; ad matutinam lucem mingens ad parietem, idest vivens quia totaliter deleviſſem eum.*

§. I.

NEc mirum sit alicui Virginem hanc fuisse prudentissimam, imo decebat esse: neque enim carere debebat, nec poterat plena virtutibus tam acquisitis quam infusis Virgo, illa virtute quæ est directrix, moderatrix & Regina virtutum, sine qua virtutes non sunt virtutes, sed vitia: Cum enim virt⁹ ad hoc ut sit virtus, debeat consistere in medio & attingere medium sive rei, sive rationis, sola autem prudentia dirigit

ctet quod hic & nunc, in his, vel illis circumstantijs sit medium, profecto sine prudentia nulla virtus erit virtus, sed vitium, utpote non valens attingere medium sed peccans, vel per excessum, vel per defectum: jam vero, ut supra probatum est, Beatissima Virgo non peccavit, unquam nec mortaliter, nec venialiter quidem, ac ita perfectissime semper in omnibus suis actibus attigit medium: prudentissima ergo fuit: maxime cum ex *Bernardo* Prudentia sit cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum.

Amplius decebat hanc virginem esse prudentissimam utpote quæ esset reparatura, & restauratura quidquid imprudentissima *Eva* per suam imprudentiam, præcipitantiam, aliaque peccata prudentiæ inimica destruxerat. Hæc enim impijssimi astutissimique serpentis suggestioni fidem dando, se & totum genus humanum perpetuæ morti, & damnationi addixit posterorum suorum & filiorum ante interemptrix quam genitrix. Et tantum abest quin prudentia dictatrice mediũ attingeret, quin potius absq; consilio & providen-

tia

tia in magnam peccatorum seriem se subito præcipitarit : At non ita Virgo nostra prudentissima, quia ut ait *Rupertus* lib. 2. in Cant. *hæc est amica sponsi columba, & formosa, & in omnibus Evæ opposita. Eva namq; quasi inimica, Eva quasi vipera, Eva quasi deformis & ignominiosa, Deo inimica, viro suo vipera sibimet ignominia. Inimica per superbiam qua intus tumuit, vipera per malitiam, quàm ex serpente concipiens foris tentata facile cessit: Ignominiosa per pruritum libidinis qua statim scaturire cepit. Vnde & nudam se cognoscens folio pudenda contexit.* At MARIA *amica Dei per humilitatem, columba per charitatem formosa per castitatem. Ipsa contra Deum non tumuit imo mente humili complacuit altissimo, ipsa serpenti aurem non præbuit, imo inimicitias inter ipsam & serpentem Deus posuit. Ipsa nuditatem libidinis non incurrit, imo spiritus sanctus obumbravit ei. Surge ergo inquit ad* MARIAM *sponsus cælestis sponsa mea, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Veni ergo* MARIA *veni, nam Eva ad latebras fugit, veni & crede angelo Evangelisanti, nam Eva credidit serpenti susuranti: veni & contere caput serpentis, nam Eva & capite illecta & ventre*

tre oblectata & cauda est obligata serpentis. Nimirum in omnibus *Evæ* dissimilis MARIA: unde idem *Rupertus* considerans verba Cant. *Dentes tui greges tonsarũ quæ ascenderunt de lavacro. Respicite* ait *sinistram considerate Evam mulierem odiosam huic dilectæ oppositam, & oculis, & capillis, & dentibus, & labiis, & genis, & collo, & uberibus infaustis. Oculi ejus non sicut columbarum, imò sicut oculi corvorum rapacium. Scriptum est enim: vidit igitur mulier lignum, quod bonum esset ad vescendum & pulchrum oculis aspectuq; delectabile & tulit de fructu ejus & comedit.* Ut non immerito super tantæ mulieris imprudentia ac malitia conquerens *Adam* Deo: *Mulier* inquit *quam dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno & comedi.* Sed ad supplendam hanc imprudentiam, temeritatem & præcipitantiam *Evæ*, datur Virgo prudentissima, Virgo Deipara, ut quomodo venenum per mulierem instillatum fuit & mors intravit: eâdem via ingeratur antidotum & vita restituatur. *Lætare ergo* (inquit *Bern.*) *Adam sed magis tu ô mater Evæ exulta, ambo consolamini super filia & tali filia, sed illa magis de qua malum ortum est prius,*

cujus

cujus opprobrium in omnes pertranſijt mulieres; inſtat namq; tempus quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir, quid cauſetur adverſus fœminam: qui utique dum ſe impudenter excuſare conatur crudeliter illam accuſare non cunctatus eſt dicens: Mulier quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno & comedi. Propterea curre Eva ad MARIAM, *curre mater ad filiã, filia pro matre reſpondeat ipſa matris opprobrium auferat ipſa patri pro matre ſatisfaciat: quia ecce ſi vir cecidit per fœminã, jam non erigitur niſi per fœminam. Redditur nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro ſuperba, quæ pro ligno mortis guſtum tibi porrigat vitæ, & pro venenato cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excuſationis verbum, in vocem gratiarum actionis, & dic Domine mulier quã dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno vitæ & comedi, & dulce factum eſt ſuper melori meo quia in ipſo vivificaſti me, ecce enim ad hoc miſſus eſt Angelus ad Virginem.* O admirandam & omni honore digniſſimam Virginem, ô fœminam ſingulariter venerandã, ſuper omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, poſterorum vivificatricem

catricem. Nec mirum, *Auctrix peccati Eva, auctrix meriti* MARIA. *Eua occidendo obfuit,* MARIA *viuificando profuit, illa percussit, ista sanavit. Pro inobedientia cum obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur.*

§. 2.

PRudentiæ ut docent Theologi nihil ita inimicum quam præcipitatio & inconsultatio, sicut nec magis amicum quam silentium. De primo dicitur, *qui præceps est in opere suo pedibus offendet*: De posteriori inquit idem sapiens, *qui moderatur labia sua prudentissimus.* Videte jam Virginem beatissimam, vere *prudentissimam,* præcipitantiæ sum̃am inimicã, silentij & congruę locutionis observantissimam. *Vnde si in hac virgine quod miremur aliud non esset* ut ait *Drexelius quam quod tam prudenter loqui, tam opportune sciverit tacere, posset ea nihilominus miraculum miraculorum, prodigiorum mundi prodigium maximum appellari. Corde* ait *Ambrosius erat humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior.* Summam Virginis B. in loquendo considerationem & in tacendo prudentiam, graphi-

ce depingit *Bernard.* in colloquio cum Archangelo Incarnationis internuncio habito. *Dixit autem MARIA ad Angelum, quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? primo quidem prudenter tacuit* (ait *Bernard.*) *cum adhuc dubia cogitabat qualis esset ista salutatio, malens nimirum humiliter non respondere, quam temere loqui quod nesciret. Iam vero confortata & bene præmeditata ab Angelo, quidem foris loquente sed Deo intus persuadente: ita ergo confirmata, fide scilicet depellente timorem, lætitiâ verecundiam, dixit ad Angelum: Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? non dubitat de facto, sed modum requirit, & ordinem. Nec enim quærit an fiet istud, sed quomodo quasi dicat: Cum sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit, ei ut fiat istud? si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito: fiat tamen voluntas ejus, sin vero virgo concipiam, virgo & pariam, quod utique si placuerit ei impossibile non erit, tunc scio vere quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ.* En responsum non præcipitatum sine consilio & prudentia,

tia, sed consideratissimum & sale prudentiæ maxime conditum: verbum dulcissimũ à Deo & hominibus summe desideratum. *Audisti*: ait *Bern. Virgo factum audisti & modum, utrumque mirum, utrumq; jucundum. Iucundare filia Syon, & exulta satis filia Ierusalem. Et quoniam auditui datum est gaudium & lætitia: audiamus & nos à te responsũ lætitiæ quod desideramus, ut jam exultent ossa humiliata. Audisti inquam factum & credidisti, crede & de modo quod audisti. Audisti quia concipies & paries filium, audisti quod non per hominem sed per spiritum sanctum: expectat Angelus responsum, tempus est enim, ut revertatur ad Deum qui misit illũ. Expectamus & nos ô Domina, verbũ miserationis quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ statim liberabimur si consentis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat à te ô pia Virgo flebilis Adã cum misera sobole sua Exul de Paradiso. Hoc Abraham, hoc David, hoc cæteri flagitant sancti Patres, Patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in Regione umbræ mortis, hoc totus mun-*

dus tuis provolutus genibus expectat. Nec immerito quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus deniq; universorum filiorum Adam totius generis tui. Da Virgo responsum festinanter. O Domina responde verbum quod terra, quod inferi, quod expectant & superi. Ipse quoque Dominus & Rex omnium quantũ concupivit decorem tuum, tantum desiderat responsionis assensum, in qua nimirum proposuit salvare mundum. Et cui placuisti in silentio jam magis placebis ex verbo, cum ipse tibi clamet è cælo. O pulchra inter mulieres fac me audire vocem tuam, si ergò tu eum facis audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Responde itaque citius Angelo, imo per Angelum Domino. Responde verbum, & suscipe verbum: Profer tuum & concipe divinum. Emitte transitorium & amplectere sempiternum. Quid tardas? quid trepidas? crede confitere & suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus convenit nunc ut virginalis simplicitas obliviscatur prudentiam. In hac sola re ne timeas prudens virgo præsumptionem: quia etsi grata in silentio verecundia magis tamen nunc in verbo pietas necessa-

cessaria. Aperi virgo beata cor fidei, labia confessioni viscera creatori. Ecce ergo in hac Beat. puella taciditatem in loquendo, amorem in tacendo, prudentiam & pietatem in verbo. Miraculũ existimat *Emanuel thesaurus fœminã esse & tacere: Quam stupes* ait de *Loth muliebrem Statuã tanto artificio fictã, artifice caruit. Olim spirabilis, & loquuta. Brevi. fœmina fuit. Dicerem, est. Nisi prodigium videretur, Fœminam esse, & tacere.* Ergo MARIA miraculum fuit, cui nihil magis, consuetum quam tacere, nihil magis rarum quam loqui, in tantum ut teste *Bernard.* quater tantum in omni textu Evangeliorum locuta legatur: nimirum ad *Angelum*, ad *Elisabeth*, ad filium in templo re inventum, & ad ministros in nuptijs in Cana Galileæ. *Toties deniq;* ut ait idem *Bernard. MARIA filium audivit non modo turbis loquentem in parabolis: sed & discipulis seorsum regni Dei mysteria revelantẽ: vidit miracula facientem, vidit in cruce pendentẽ, vidit exspirantem, vidit ascendentem. Sed in his omnibus quoties verecundissimæ Virginis quoties pudicissimæ turturis vox memoratur audita?* Nimirum gaudebat potiùs MARIA conservare omnia verba hæc & conferre in corde suo.

§. 3.

§. 3.

INter illas fœminas quas ob ſingularis eloquentiæ & prudentiæ prærogativam ſacra ſcriptura deprædicat, famoſiſſimæ ſunt *Rebecca, Thecuitis, Bethſabea, & Iudith. Rebeccam* lib. Geneſ. laudat & extollit quod ſua prudentia & induſtria cauſa fuerit filio *Iacob*, eique modum ſuggeſſerit quo paternam benedictionem impetrarit: pellis Hędinis manus contegens, & colli nuda deveſtiens ut primogenitus putaretur, qui ſecundo genitus erat. Prudentiam *Thecuitis* ſatis oſtendunt lib. Reg. quæ tantum ſua eloquentia & prudentia valuit apud *Davidem*, ut ejectum & fugitivum fratricidam *Abſolonem* iterato in gratiam reciperet & Jeroſolymam redire permitteret: *Iuditha* vidua illa fortiſſima, laudibus noſtris non indiget: ipſius prudentiã, pulchritudinem, eloquentiam ipſos etiam hoſtes in ſtuporem & admirationem adduxit, ut exclamarent: *Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu pulchritudine & in ſenſu verborum.* Jud. 11. Senſit indubie ignita verborum & oculorum ejus jacula, Princeps Aſſyriorum *Holofernes* vix enim faciem ejus vidit, vix

loquen-

loquentem audijt,& ſtatim captus eſt in oculis ſuis. *Bethſabeæ* prudentiam quid memorẽ? ipſa eſt quæ ſua prudentia filio *Salomoni* ad thronum regni,paternumque ſolium viam ſtravit quæ regnum pro ipſo petijt & impetravit. Sed quid harum mulierum *prudentia* ad Virginem noſtram *prudentiſſimam*. Hæc eſt vera *Rebecca* quæ non unico filio, ſed toti generi humano cæleſtem benedictionem impetravit: vera *Iuditha* quæ infernalem *Holofernem* devicit, ſerpentiſque antiqui caput contrivit, quæ Regem cælorum in ſui deſiderium & amorem inclinavit,& ad ſe de ſupernis attraxit: Hæc illa cælorum Auguſta quæ toti mundo hæreditatem regni cæleſtis mediante filio obtinuit. Per quam antiqua excluditur maledictio mulierum, & novam nova mater accipit benedictionem. Impletur per gratiam quæ concupiſcentiam neſcit, ut Spiritu ſuperveniente altiſſimi pariat filium, quæ virum dedignatur admittere. Intratq; ad nos eadem porta ſalutis antidotum qua venenum ſerpentis ingrediens univerſitatem generis humani occuparat.

Caput Decimum Tertium.

Encomium Marianum *Decimum quintum et Decimum sextum.*

VIRGO VENERANDA & PRÆDICANDA.

VTi *lib. 2. de Iure & Iustit.* docet *Leon. Lessius* & alij D D. honor veneratio, est testificatio excellentiæ & dignitatis alterius. Vnde secundum diversitatem excellentiarum & dignitatum honoris & venerationis est diversitas. Alius siquidem est honor veneratio & cultus; Nobili, Comiti, Duci, alius Regi, Imperatori, alius denique summo Pontifici debitus. Et prout unus in dignitate & excellentia alium excedit, ita illi major honor & veneratio exhibenda est. Quanta ergo putamus veneratione digna erit & prædicatione quæ excellentia & dignitate cunctas supergreditur creaturas? illa quæ in honore & dignitate in quantum est Mater Dei, & per hoc Regina cœlorum, *nec similem primam visa*

est

est, nec habere sequentem? Distinguunt autem Theologi cum Doct. Angel. triplicem venerationem & cultum, qui alicui exhiberi potest nimirum latriæ, Hyperduliæ & denique Duliæ. Primus est servi ad Dominum soli Deo debitus: secundus inferioris ad superiorem, qui superior si alios longe transcendit dignitate & excellentia cultu superduliæ alias duliæ quo modo sancti colendus erit: Cultus autem hyperduliæ soli Bmæ Virgini exhibetur.

§. 1.

MAgnus Rex Assuerus, qui regnabat ab India usq; Æthiopiam super centum viginti septem provincias revocato, sibi in memoriam per lectionem Annalium beneficio illo sibi à *Mardocheo* præstito, quod indicasset proditores volentes eum interficere: tantum beneficium recompẽsare & salvatori suo, se gratum exhibere volens petijt ab *Aman: Quid debet fieri viro quem Rex voluerit honorare.* At ille se illum esse existimans: *Homo* inquit *quem rex vult honorare debet indui vestibus Regiis, & imponi super equum, qui de sella Regis est, & accipere Regium diadema super caput suum. Et primus*

mus de principibus Regis teneat equum ejus, & per plateas civitatis incedens clamet & dicat: sic honorabitur quemcumque Rex voluerit honorare. Omniaque hæc in *Mardocheo* completa sunt. Quod si tantum promeruit honorem *Mardocheus* pro fidelitate quam Regi *Assuero* exhibuerat, quis queat concipere aut valebit exprimere, quantis sit digna venerationibus sacratissima Virgo MARIA, quam omnium Rex sœculorum immortalis, invisibilis, Deus Dei unigenitus filius, sibi elegit atq; assumpsit in matrem, quæ & sibi ab exordio nativitatis suæ ex ea, usque ad passionem & mortem in cruce, cum inæstimabili charitate & summa fidelitate jugiter astitit. Ipsa itaque digna fuit indui vestibus Regijs, ideſt excellentissimis gratiæ ac virtutum ornatibus sicut de ea in Psal. dicitur Deo *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate* Ps. 44. Digna etiam fuit accipere Regium diadema in capite suo: juxta illud Apoc. 12. in capite ejus corona stellarũ duodecim. *Dignum plane coronari stellis caput, quod & ipsis longe clarius micans ornet eas potius quam ornetur ab eis. Quidni coronent sydera*

dera quam sol vestit? Quis illas æstimet gemmas? quis stellas nominet quibus regium MARIÆ *diadema compactum est?* Ita *Bern.* Insuper poni debet sacratissima Virgo, super equum qui de sella Regis est per quem equum convenienter intelligitur chorus seu ordo prædicatorum, ac prælatorum, quorum est nomen Dei undique circumferre ac alijs nunciare. Idcirco debet universitas horum virginem Christiferam spiritaliter ad subditos deportare excellentiam, ac sanctitatem Virginis benedictæ illis insinuando. Primus quoque de Principibus Regis, hoc est Pontifex Romanus, qui est summus Christi Vicarius, omniumque Prælatorum ac principum hujus sæculi pater Prælatus ac Hierarcha debet hunc equũ tenere, id est Prædicatores ac Prælatos dirigere, & per eorum ora, clamare, ac dicere: hoc honore condigna est virgo præelecta genitrix vitæ, quam Rex cœlorum Christus filius ejus vult honorare & ab omnibus honorari. Et convenientissime: quæ enim majori honore & veneratione digna est quam illa, quæ Deo proxima supra se nihil habet quam ipsum Deum, infra se

fra se autem omnia quæ Deus non sunt? Et hoc maxime constabit, si causas ob quas aliquis venerationem meretur expendamus in Beatissima nostra Matre.

§. 2.

PRimo igitur B. Virgo MARIA honoranda est nobis ratione suæ dignitatis, quæ est maternitatis Dei, per quam comparabilis est Patri æterno, id est parens ejusdem filij, cujus & ille est pater: per hanc dignitatem excellentior est omni pura creatura, & cunctis creatis prælata, utpote Domina Angelorum, Regina cælorum, Imperatrix Augustissima, Mater & advocata omnium hominum. Itaq; quanto est dignior tanto honorabilior, nec possumus eam sufficienter laudare ac venerari. Unde sicut post Deum ipsa existit dignissima, sic post Deum debemus eam potissime honorare, diligere laudare, hinc apud Religiosos piosque sæculares consuetudo habetur laudabilis, ut quoties sacratissimum ejus nomen MARIA nominari audiunt aut nominant, caput detegant, inclinent aut aliud venerationis & reverentiæ signum exhibeant.

Secun-

Secundo honoranda est nobis ratione suæ excellentissimæ sanctitatis, quæ talis ac tanta juxta superius dicta ut nulli° puræ creaturæ sanctitas ei valeat comparari. Si ergo quilibet sanctus, quilibet angelicus spiritus honorandus est nobis ob suam sanctitatem, quam incomparabiliter magis venerari debemus Virginem sanctissimam summa sub Deo puritate ac sanctitate splendentem ?

Tertio honoranda est nobis ratione suæ principativæ potestatis, & proprietatis videlicet, quoniam spiritalis Mater est omnium nostrum, quia per eam reformati reparatiq; sumus, sicut per *Evam* perditi sumus atq; damnati. Ipsa etenim peperit nobis Salvatorem, ac Redemptorem. cujus sanctissimum corpus ex ejus purissimis est sumptum sanguinibus.

Denique honoranda est nobis ratione suæ liberalissimæ beneficentiæ. Ipsa equidem est benefactrix nostra largissima, indeficiens atque pijssima fidelissima & amorosissima, à quo tot bona suscepimus, à tantis periculis præservati ereptiq; sumus, quæ jugiter orat pro nobis & varia gratia-

rum

rum chariſmata impetrat. Nam & Deus gloriæ naturaliter infiniteq; bonus, regnũ miſericordiæ ei commiſit, & ipſa omni pietate & miſericordia inæſtimabiliter eſt impleta, & ſuperimpleta. Ut ſaluberrime in hymno ſuo moneat horteturque S. *Caſimirus*.

Hæc amanda & laudanda
Cunctis ſpecialiter
Venerari prædicari
Eam decet jugiter.

Et profecto Bm̃am hanc Virginem ab omnibus venerandam eſſe ſuomet exemplo Dominus ac Salvator noſter, & naſcens, & vivens, & patiens, & moriens demonſtravit. Et quidem vix natus mox oſtendit honorem & amorem, quem erga Bm̃am Virginem Matrem ſuam habuit oſtendebat: in tantum quidem ut etiam honores alios aliunde ſibi oblatos in abſentia ſuæ matris ſuſcipere renuerit: eo quod non redundarent ſimul in matrem ſuam. Comparemus Chriſtum naſcentem & concionantem. De Chriſto naſcente referunt Evangeliſtæ, quod cum populi & turbæ mirabilia ejus quæ patrabant viderent,

&

& efficaciam sermonis ejus audirent, præ stupore & admiratione hærentes, eum judicaverunt esse filium Dei, ac proinde requirentes eum conati sunt facere Regem, *at ille fugit in montem solus*. At contrarium in Christo nascente, nam natus in præsepio reclinat° in sum̃a paupertate & inopia: in frigore & nuditate ab omni creatura se adorari & voluit & permisit non solum ab infimæ conditionis hominibus sed & ab ipsis mundi Regibus & Principibus, tribus magis Regibus qui ab ultimis mundi finibus venerunt : *Et procidentes adoraverunt eum*. Et quæ causa? cur fugit in desertum, ne adoraretur aut Rex crearetur: & tamen in præsepio se ab omnibus adorari, seq; Salvatorem Regemque Judæorum appellari non renuit ? An non idem erat in deserto & in præsepio? indubie erat: quærgo causa illius? Hęc est: ut ostenderet quanti faceret matrem suam virgineam quod nullum honorem sibi deferri cuperet, imo delatum recusaret, nisi is simul in virginem matrem redundaret : jam vero Christo fugienti in desertum non aderat mater sua, *fugit in montem ipse solus* ait S. textus : & ea propter

propter nec honorem sibi ibi delatum acceptare voluit. At ipsi in præsepio jacenti hæc eadem mater aderat: juxta illud Evangelist. *Intrantes domum invenerunt puerum cum MARIA matre ejus & procidentes adoraverunt eum* Audite S. *Melitonem* hunc conceptum suo testimonio confirmantem sermon. 5. de Dña *noluit* inquit *in deserto coronari, voluit in præsepio adorari. Quare? quia ibi MARIA mater ejus non erat, hic autem habebatur.*

§. 3.

MIrabitur quis non indubie lamentabilem principis Apostolorum casum, quod cum paulo ante tam generoso animo se obtulisset *paratum in carcerem & mortem ire* pro Domino & Salvatore suo, imo de facto etiam aliquod hujus animi signum demonstrasset, in horto *Gethsemani educens gladium & amputans auriculam Malchi dexteram*: tamen hoc non obstante vix una hora post cœperit eum se nosse negare, pro quo ante mori paratus erat nec solum negare sed & *anathematisare & jurare quia non novisset hominem*: Et quæ putamus causa hujus lapsus? Assignant alij ejus præsum-

sumptionem, & jactantiam, paulo ante ostensam, alijs posset compati lapsis & infirmis, ipsemet expertus humanę naturæ fragilitatem. Alij denique aliam assignant: at præ omnibus mihi placet ea quam adducit aureum eloquentiæ flumen, *Chrysost.* eam esse quod in monte *Thabor* constitutus nullam reverentiam, nullum honorem & cultum B. Virgini & Matri Domini exhibuerit. Quod post Christum pro *Moyse & Elia* tabernaculum extrui postulaverit, nulla habita mentione B. Matris, cui post filium primus honor & sedes debebatur: *Domine* inquiebat *Petrus bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Elia unum:* nullam facit MARIÆ mentionem: unde jam citat. *Chrysost. Egressus Petrus flevit amare*: In hunc modum S. Petrum alloquitur: *Nonne in monte Thabor transfigurationis in me peccasti cum velles tria tabernacula fabricare, & me sine matre mea in eodem ordine cum amicis collocare? ideo negasti.*

Sed jam Christum patientem & sanguineo cruore perfusum intueamur: intueamur inquam quam honoris matris suæ

curam gerat & sollicitudinem. Cum enim jàm alta crucis tabe suspensus hæreret, spineo diademate redimitus, manibus clarus, cruci affixis & pedibus, & totus virgineo cruore perfusus, nullumque sibi amplius membrum solutum & liberum esset, quo debitam matri reverentiam exhibere posset nisi sola lingua & caput: linguam ad matris honorem laxans conversus ad matrem mœstissimam, & vere se cum spiritu crucifixam, *Mulier* inquit *Ecce filius tuus*: Non imerito hic quis miretur tantam filij erga matrem venerationem, incumbebat ipsi onus & cura salutis totius generis humani; & tamen solius recordatur matris: At omnem hujus rei nobis tollit admirationem & causam insinuat *D. Ambrosius lib. de instit. Virg. cap. 7. Claudite* ait *ora impij, aperite aures pij, audite quid Christus loquatur: Testatur de cruce Dominus IESVS & paulisper publicam differt salutem, ne matrem inhonoratam relinquat*. Nimirum volebat filius desolationi tantæ matri aliquale gaudium, & consolationem impartiri, dum reverentia quam ei exhibet genuinum, quoque se ejus esse filium testatur.

Nec

Nec hic ſtetit honoratio & reverentia Matri à filio exhibita, ſed quemadmodum eam naſcens, vivens, & patiens: ſic quoq; eam & moriens honorare voluit. Aſcendite in *Golgothei* montis verticem, videbitiſq; Salvatorem noſtrum poſt tot atrocia crudeliſſimaq; ſuperata tormenta inclinato capite ex hoc mundo diſceſſiſſe *inclinato capite tradidit ſpiritum* inquit Evang. Sed cur verſus terram caput inclinavit jam moriturus, cum tamen non eſſet vel ullus, (ſola matre & diſcipulo exceptis) qui patienti &ferenti tantos dolores cõpateretur, quin potius infenſiſſimis odijs & ira flagrantes *blaſphemantes movebant capita ſua illudentes & dicentes: vah qui deſtruis templum Dei &c. Alios ſalvos fecit, ſe ipſum non potest ſalvum facere, ſi Rex Iſraël est deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Cur inquam ad hos caput inclinavit, & non potius cœlum verſus ibi angeli amare flebant, & compatiebantur ei? & ad patrem quem paulo ante inclamaverat? ſed cauſam illius inſinuat *S. Anadac ſer. 5.* ſcil. amorem & venerationem dulciſſimę matris ſuæ: *inclinato capite tradidit ſpiritum*, quia ſpiritus quem ex aluo Matris aſſum-

pserat, in ulnas matris redire cupiebat. Aliam causam assignat: *Hugo Cardin.* in hunc modum scilicet *esse amorem quo ad similiter amandam, honorandamq; B. Matrem suam, suo exemplo nos excitare voluit*: Christus enim ad illam partem crucis ad quam stabat mater sua moriens caput inclinavit, volens capite tanquam indice (nam manus cruci affixæ erant, ac proinde index manus liber non erat) eam demonstrare. En verba *Hugonis Card. Inclinato capite tradidit spiritum ex parte matris suæ, quasi diceret: per ipsã veniam petite, ipsa est oraculum misericordiæ.* Et licet ibidem in cruce paternitatem & suam filiationem divinam celaret, nequaquam tamen voluit ob honorem Virginis Matris temporalem maternitatem, aut filiationem abscondere: ita *P. Ponferadiensis: Benignus* ait *atq; amantissimus filius, qui maluit paternitatem divinam celare quam temporalem maternitatem.*

§. 4.

VAticinatur olim se ab omnibus gentibus beatificandam & glorificandam Virgo beatissima, *Beatam* inquit *me dicent omnes generationes. Ab ævo in ævum sic erit*

erit inquit *Drexelius, vel hoſtes tui ô Virgo tuum præconium augebunt. Tu illa Regina cæli, terræ maris, tu Angelorum hominumq; Domina, tu fons miſericordiæ uberrimus, te ſuperi colunt obſervant inferi, tu ſolem luminas, orbem exhilaras, tartarum calcas, tibi reſpondent ſydera, ancillatur terra, ſerviunt elementa. Beatam te dicunt omnes generationes, quot enim librorum volumina, quot per orbem templa, quot divites templorum aræ, quot facundi titulis ac donis parietes, quod ſacrorum hominum cætus, quot piorum juvenum ſodalitia te colunt tuas laudes commemorant, tuis honoribus deſerviunt? Beatam te dicunt omnes generationes, omnibus retro ſæculis omnes hominum ordines ubiq; terrarum & locorum te Domini matrem religioſiſſimo cultu venerantur.*

Beatam ergo ait Bm̃a Mater *me dicent* in futuro *omnes generationes*: Ex omni enim natione, populo, ſexu, conditione electi colliguntur: qui Chriſto agnito ejus matrem magnis laudibus proſequuturi erant: unde in typum hujus prædicante Chriſto ad populum mulier quædam extollens vocem dixit, *Beatus venter qui te portavit & ubera quæ ſuxiſti*: Sed & Eccleſia hoc debi-

tum prædicandæ Virginis MARIÆ agnoſcens, varios hymnos ad ejus honorem cõpoſuit ter quoque in die pulſari ad honorandam B. Virginem atque invocandam, campanas inſtituit, nempe in aurora ſub meridiem & ſub veſperum. Neque de Virgine ſimpliciter loqui conſuevimus niſi præcedente titulo beatæ aut ſimili nam dicimus Beatam Virginem, Bm̃am Matrem, Bm̃am & glorioſam Dominam &c. Nec tantum hominum generationes, ſed & Angelorum & beatorum, perpetuo illam laudant & glorioſam prædicant. Ob id enim *Angelus Gabriel* tam honorificis verbis eam ſalutavit *gratia plenam & benedictam inter mulieres*. Neque homines tantum Chriſtiani & Angeli, ſed etiam increduli & Mahometani illam puriſſimam omnium mulierum prædicant, Virginem eam, & de ſpiritu ſancto concepiſſe confitentes: In *Alchorano* enim cap. *Elbachera* ſcribitur: *Dedimus MARIÆ filium IESVM, ut faceret prodigia & miracula manifeſta, & facimus eum per Spiritum ſanctum, & inſufflavimus in MARIAM de ſpiritu noſtro, & conceptus eſt Chriſtus ex virtute Dei de Matre Virgine ſanctiſſima &*

ma & purissima super omnes mulieres. Et in cap. *Elnessa: Non dicatis de Deo, nisi veritatem quia IESVS filius* MARIÆ *est nuntius Dei, & verbum Dei, quod ipse posuit in caper spiritum sanctum.* Et deniq; in cap. *Amaran: O MARIA, Deus prætulit te super omnes mulieres.* Sed *& sepulchrum* Virginis in valle *Iosaphat* situm Sarraceni summo honore venerantur, & majori quam ipsum Christi sepulchrum, imo frequenter adorationis causa eo conveniunt: nec apud eos impune licet maledicto ullo aut blasphemia Beatam Virginem afficere: quod tamen passim & publice cum maximo scandalo inter Christianos plerumque fieri videmus.

Supereſt jam ut modos quosdam & praxes adjungamus, quibus Bm̃am hanc Virginem venerari ac honorare possimus, ac ita ejus gratiam & favorem demereri.

1. Inter has autem non im̃erito primum locum sibi vendicat, crebra, & assidua Bm̃ę hujus Virginis per angelica verba salutatio: nihil est enim in quo tantum sibi hæc Bm̃a Virgo complacet, quam audire à servis suis dulcissimam hanc salutationem. Et si illi qui se carnaliter diligunt invicem

crebro inviſunt, ſalutant, & obſequia impendunt, utiq; non poterunt melius ſuum erga dulciſſimam matrem ſuam virginem venerandam amorem declarare, quam ſi aſſiduis melleisque ſalutationibus eam invocent & ſalutent: hæc enim angelica ſalutatio omnes alias orationes quæ Virgini Matri offerri poſſunt longe antecellit: unde vice quadam Bñna Mater ad *S. Mechtildem* ait: *Quæris à me dilecta filia ac ſcire deſideras, quæ oratio inter omnes mihi maxime placeat: Mera ſtultitia & fatuitas eſſet, ſi homo mortalis putaret invenire orationem illi ſimilem, quæ mihi cœlitus miſſa eſt:* Sed & mirabiles hujus Angelicæ ſalutationis ſunt effectus nam juxta *Thom. de Kemp.*

Cum dico Ave MARIA.

1. *Cælum gaudet, omnis terra ſtupet,*
2. *Sathan fugit, infernus contremiſcit,*
3. *Mundus vileſcit, cor in amore liqueſcit*
4. *Torpor evaneſcit, caro marceſſit,*
5. *Abſcedit triſtitia, venit nova lætitia,*
6. *Creſcit devotio, oritur compunctio,*
7. *Spes proficit, augetur conſolatio,*
8. *Recreatur animus, & confortatur affectus.*

Siqui-

Siquidem tanta est suavitas hujus dulcissimæ salutationis, ut humanis non possit explicari verbis: sed semper altior manet & profundior, quam omnis creatura indagare sufficiat. Hæc oratio salutatoria parva verbis, magna mysterijs: brevis sermone, alta virtute: super mel dulcis super aurum pretiosa: ore cordis est jugiter ruminanda, labijsq; puris celeberrime repetenda. Verbis enim pauciſſimis contexitur, & in lætissimum torrentem cælestis suavitatis diffunditur. Quam autem gratum sit B. Matri si creberrime & incessanter hac salutatione pias ejus aures pulsemus, imo toties, quoties ejus imaginem transire contingit; satis declaravit ex hoc, quod cum melliflus *Bernard. in Monasterio Affliginiensi* transiens ejus imaginem salutaret bino solo hoc verbo Ave MARIA, mox ipsa eidem responderet *Ave Bernarde*. sit ergo hæc prima praxis MARIÆ clientibus honorandi ipsam & venerandi: scilicet quotiescumque contingit ejus videre aut transire imaginem, quoties hora insonat, quoties ad Angelicam salutationem signum matutinum meridianum aut vespertinum auditur eam

salutatione Angelica honorare: etsi quem ad hoc non moveat amor dulcissimæ Matris aut suavitas ejusdem salutationis: moveant saltem largissimæ *indulgentiæ* à diversis summis Pontificibus hasce devotiones practicantibus liberaliter concessæ.

2. Modus Bñam matrem venerandi; est semper aliquam ejus imaginem penes se habere, aut in decade vel rosario gestare: si enim vani & impudici amatores soleant depictas amasiarum suarum effigies, ubique circumferre & per has impudicum suum amorem fovere: quanto magis decet amatores Sanctissimæ hujus virginis ejus imaginem habere ac per eam pudicum suum erga eam amorem fovere & promovere? decet utique, & eam tanquam præsens asylum, contra omnes tentationes pręsens penes se habere: eam sæpius, maxime cũ carnis tentatio urget intueri, cum intuitus illius ab omni peccato maxime carnali retrahat & libidinis flammas extinguat.

3. Modus sit Bñam hanc Virginem sibi in Matrem & sponsam eligere. Nec est quod quis hic metuat præsumptionẽ cum ipsa Bña Virgo sæpius monstrarit gratissimas

mas sibi has electiones esse: imò sœpius ipsamet se ad has obtulerit: sic enim ipsa S. *Robertum* Abbatem Molismensem, adhuc in utero Matris existentem per annulum digito Matris ejus impositum sibi desponsavit, quem utero gestabat, sic & Beatum *Alanum de Rupe* annulo digito ejus impositio: & Beatum *Hermannum Monachum* Steinfeldensem, mutato nomine *Hermanni* in *Ioseph*, sibi sponsos desponsavit: vicissim eam quoq; sibi sponsã delegit *S. Edmundus Cantuar.* cum adhuc juvenis inserto digito statuæ Bm̃æ Virginis annulo, cui insculpta prima duo verba salutationis Angelicæ:

Praxis autem harum devotionum hæ vel similes esse possunt:

Praxis eligendi Beatissimam Virginem in sponsæ matrem.

O sanctissima Deipara Virgo MARIA, gratiosa Domina mea, ego etsi indignus qui tibi serviã, attamen fretus materni cordis tui clementia, eligo te hodie coram Angelo custode meo, & tota cæleſti curia, in meam peculiarem Dominam MATREM & Advocatam: firmiterque propono me tibi deinceps, & filio tuo servitu-

rum

rum fideliter & adhæsurum perenniter. Obsecro te Mater sacratissima, per amorem quo filius tuus jam moriturus in cruce te dilecto Discipulo tuo Ioanni commendavit, ut me suscipias in curam & tutelam tuam & adsis mihi in omnibus periculis & angustijs totius vitæ meæ, nec me deseras in hora mortis meæ, Amen.

Praxis eligendi eandem in Sponsam.

O Sanctissima & Immaculata Virgo MARIA, certum ad te confugientium asylum, ego indignus famulus tuus N. in præsentia Sanctissimæ Trinitatis, dilectissimi filij tui Domini mei IESV CHRISTI, SS. Patronorum meorum NN. S. Angeli Custodis mei, omnium Sanctorum tibi singulariter addictorum, & totius Aulæ cœlestis: te hodie eligo in dilectissimã gratiosamq; SPONSAM meam: firmiterq; statuo ex hoc momento tibi servire fidelissime, ideoq; tibi offero omne momentum vitæ meæ, omnem cordis mei motum, omnes actiones, verba & cogitationes meas: te quoque deprecor per merita dilectissimi filij tui, dignare me in singularem tuum famulum suscipere, mei curam gerere, & animã meam in mortis meæ hora protegere amen.

4. Modus sit frequentatio precum & orationum in honorem B. Matris compositarum

sitarum scil. *officij de Domina* sivè *horas de B. Virgine : Psalterij Mariani à S. Bonaventura compositi: Officij Immaculatæ Conceptionis, Lætaniarum Lauretanarum*, & aliarum hujusmodi precatiuncularum.

5. Quotidiana lectio novem Ave MARIA, in honorem novem mensium, quibus ipsa Virgo Mater in utero suum sanctissimum filium gestavit subjungendo, cuilibet versum :

Beata viscera MARIÆ *Virginis quæ portaverunt æterni Patris filium*,

Et beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum.

6. Singulares titulos seligere quibus Bmam Matrem salutemus, scilicet *Imperatrix cœli & terræ, stella maris, Regina Angelorum &c.* Maxime autem tales in quibus singularem propinquitatẽ habet cum SS. Trinitate, quales sunt descripti in Sacello Lauretano scil. *Ave filia Dei Patris, Ave Mater Dei filij, ave sponsa Spiritus Sancti, Ave templum totius Sanctissimæ Trinitatis.*

7. Modus erit B. Matrem crebris oratiunculis jaculatorijs invocare; quales erunt: *O Mater Dei, memento mei. O* MA-

RIA

RIA *sis mihi* MARIA, *monstra te esse Matrem &c.* Ad quorum verborum prolationem creditur *S. Bernardus* virgineis uberibus lactatus: MARIA *Mater gratiæ* &c. Et alias his similes, quas quilibet pro sua devotione & in Bmam Matrem amore formare poterit.

8. Frequentati actus amoris ad eandem B. Matrem: inter quos pulcherrimos existimo subjunctos hic quos utile erit semel quotidie percutrere.

Amo te amabilissima Virgo MARIA *Mater Dei ex toto corde meo super omnia amabilia creata.*

Amo te benignissima Virgo MARIA, *& desidero te amare quantum tu ipsa amabilis es.*

Amo te Clementissima Virgo MARIA *& desidero te amare quantum te amant omnes animæ in Ecclesia militante.*

Amo te Dulcissima Virgo MARIA, *& desidero te amare quantum te amant omnes animæ beatæ in cœlo.*

Amo te Fidelissima Virgo MARIA, *& desidero te amare quantum te amant omnes angelorum chori.*

Amo te Humillima Virgo MARIA *super omnia amabilia creata, & desidero te amare*

quantum

quantum te amat dilectissimus sponsus tuus S. Ioseph patronus meus optimus.

Amo te Innocentissima Virgo MARIA, *& desidero te amare quantum te amat ipsum cor & anima unigeniti filij tui.*

Amo te Nobilissima Virgo MARIA, *ex toto corde meo, & propter amorem tuum desidero tuam ac filij tui voluntatem in omnibus perfectissimi adimplere.*

Amo te purissima Virgo MARIA, *super omnia amabilia creata, & cupio mortem subire potius, quam aliquid agere quod tibi displicet.*

Amo te sanctissima Virgo MARIA *unicum post Deum animæ meæ bonum & desidero in amore tuo constantissime perseverare, & ad mortem usq; proficere amen.*

9. Mod° erit 1. Omne quidquid in nomine illius petitur libenter cõcedere. 2. Ejus nomen mane, & vesperi fronti & pectori digito inscribere. 3. Eam corpore toto in terram prostrato invocare. 4. Ante exitum domus & introitum eam salutare. 5. Omne opus sub illius præsidio inchoare & complere per *salutationem angelicam* & *sub tuum præsidium*. 6. Profesta illius jejunio impendere sic & diebus mercurij à carnibus

bus sibi interdicere. 7. Psalmos Davidicos quorum litteræ initiales faciunt nomen MARIA legere scilicet

Psalmi

Magnificat		*Magnificat*
Ad Dominũ cum trib.		*Ave Regina*
Retribue servo tuo	Antiphona	*Regina cœli*
In convertendo		*Inviolata*
Ad te levavi oculos.		*Ave maris stella.*

Vtque multas alias devotiones & modos venerandi hanc Bm̃am Virginẽ (quos fuse tradunt *Hortus Marianus & Paradisus apertæ Philagiæ*) transeam⁹ salutare quoq; erit, continu⁹ & frequentatis actibus spei, & fiduciæ hanc Bm̃am Matrem interpellare: hoc simili ve modo: *In te Domina speravi non confundar in æternum: ave Anchora spei nostræ.* Conducet ad hoc meo judicio vel maxime Psalmus Psalterij *Mariani* á Seraphico *Bonaventura* compositi qui legitur feria 3. cujus fere tot emphases quod verba:

In te Domina speravi non confundar in æternum, in tua gratia suscipe me.

Inclina ad me aurem tuam, & in mœrore meo lætifica me.

Tu es fortitudo mea, & refugium meum, consolatio mea, & protectio mea.

Edu-

Educas me de laqueo hoc quem absconderunt mihi, quoniam tu es adjutrix mea.

In manus tuas commendo spiritum meum, totam vitam meam, & diem meum novissimum.

Sed jam his relictis antequã ad sequentia properem⁹, supereſt ut quia de efficacia ac dulcedine ſalutationis Angelicæ locuti ſumus, ſuaviſſima itidem Seraphici *Bonaventuræ* verba, ad majorem hujus divinæ ſalutationis amorem in cordibus noſtris excitandum, hic adjungamus. *Liquefacta eſt*, inquit ergo Doctor citat. *anima mea ut ſalutavi Dominam meam.*

O AVE, O mirabile AVE:

cujus fructu
- *Creaturæ renovantur,*
- *Homines redimuntur,*
- *Angeli reparantur.*

O dulciſſimum AVE:

Ad quod
- *Dæmones effugantur,*
- *Peccatores liberantur,*
- *Filij electantur.*

O ſuaviſſimum AVE:

Quod
- *Intellectum irradiat,*
- *Affectum ſatiat,*
- *Mentem ad cæleſtia levat.*

O AVE:

Quo { Terrestria lætantur,
Cœlestia jucundantur.

O amabile Ave, accedat ut salutet qui vult constringi amore : ô virginis amor divinum reddis amantem, virgineum facis jam multa sorde pollutum: Ergo ave Domina mea, Mater mea, imo cor meum & anima mea Virgo MARIA, & MARIA mea ave.

Prosequitur idem Seraphicus *Bonaventura.*

Ave gratia plena, { De cujus plenitudine respersa revivisçit omnis creatura,
Quam apud Dominum invenisti, & per totum mundum effudisti quæ colligit bonos, malos impinguat, bonos liberat universos.
Cujus pretiosum balsamum tanta tibi plenitudine influxit ut copiosissime effluat circumquaq.

In te omnis spes viæ & veritatis,
In te omnis gratiæ vitæ & virtutis,

Sicut in mari aquarum, sic inte Domina sunt congregationes gratiarum. O verè dives & nimis dives, in quam omnis gratia confluxit, per quã gratia tanta ad omnes defluxit. O dives in omnes & super omnes MARIA,

de cujus substantia modica totius mundi sufficit solvere delicta.

Dominus Tecum.

Pater tecum ô MARIA, *qui suum filium facit & tuum: Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo & sibi reserat genitale secretum, & sibi servat virginale signaculum : Spiritus sanctus tecum quì cum Patre & filio tuum sanctificat uterum.*

Dominus ergo Tecum.

DOMINUS,
- *Cujus filia es, quâ nulla nobilior,*
- *Cujus mater es, quâ nulla mirabilior,*
- *Cujus sponsa es, quâ nulla amabilior,*
- *Cujus ancilla es, quâ nulla humilior unquam fuit, nec est, nec erit in æternum.*

Benedicta Tu in Mulieribus.

Quæ sine exemplo cum decore virginitatis gaviſa es honore parentis.

Benedicta tu ex qua omnium processit vita, vere benedicta & super benedicta, per cujus benedictionem benedicitur omnis creatura. Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu quæ prohibuisti Deum ne iret ad sanguinem. Benedicta de loco quo filius tuus apud te requievit in utero. Benedicta de loco quo apud filium

requiescis in cælo: Nec in Mundo locus dignior virginalis uteri thalamo in quo Filium Dei MARIA *suscepit, nec in cælis regali solio in quo* MARIAM *filius* MARIÆ *sublimavit. Benedictus frater per quem* MARIA *est nobis Mater, benedicta mater per quam Christus est nobis frater.*

Benedicta
- *Propter plenitudinem gratiæ, quam invenisti,*
- *Propter celsitudinem personæ, quam genuisti,*
- *Propter multitudinem misericordiæ, quam exhibuisti.*

Benedictus Fructus Ventris Tui.

De quo satiabitur bonis quicumq; esurit & sitit, ô elevatio mentium, inebriatio cordium, suavitas peccatorum, fructus tuus Domina hic est vere fructus beatus à principio ortus sui, hic est IESVS filius Dei vivi: hic est salvator noster Dominus Deus noster; Illius ô Domina es Mater cujus Deus est pater, Filius paternæ charitatis, est corona tuæ castitatis: sapientia paterni cordis est fructus uteri virginalis.

O Venter
- *Mirabilis qui potuit capere Creatorem,*
- *Laudabilis qui meruit recipere Redemptorem,*
- *Desiderabilis qui emisit desiderium men-*

O Venter { *tium, gratiarum, fluvium gloriæ præmium,*
Non venter, sed cœlum Empyreum.

O felix Venter qui:
Solem genuisti
Mundum reparasti
Patriam recuperasti.

O Venter prætiosus qui portavit:
Medicinam infirmis,
Vitam mortuis, &
Paradisum justis.

O Venter:
Eburneus, & sedes sapientiæ,
Tornatilis, & celsitudo gloriæ,
Amabilis, & dulcedo animæ.

O Venter { *Fons pietatis,*
Locus sanctitatis,
Flumen bonitatis.

O Venter qui fuit:
Pretium perditorum,
Felicitas beatorum,
Deus Angelorum,

O Beatus Venter, ô Beata Viscera, ô Beata Vbera: ô Domina nostra, hunc JESUM *benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende benignum.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Encomium Marianum *Decimum Septimum.*

VIRGO POTENS.

SUmmum illud ſapientię oraculum, cui nec ſimilem anteriora nec poſteriora videbunt poſt tot heroũ deſcriptã fortitudinem ad mulieres tandem deveniens: *Mulierem* inquit *fortem quis inveniet?* Acſi manifeſte dicat: vix quidquam rarius mihi videtur quã mulier fortis: mulieri ſiquidẽ fortitudo naturaliter ob ſuam imbecillitatem contraria eſt. Hinc & paulo poſt *procul* inquit *& de ultimis finibus pretium ejus.* Poſſet quis tam ſedulò mulieris fortis inquiſitori opponere plures fœminas, quas ob ſuam fortitudinem S. extollit hiſtoria: An non mulier fortis Hebrea illa *Iuditha* cui ipſi etiam hoſtes acclamarunt: *Vna mulier Hebrea fecit confuſionem in domo Nàbuchodonoſor Regis?* Quæ ipſum belli ducem *Holofernem* aggredi non dubitavit & proprio gladio ejus caput à cervicibus abſcidit

scidit? canitq; de ipsa Ecclesia in officio immaculatæ Conceptionis *O mulier fortis & invicta Iudith*. An non fortis mulier *Debbora* Jud. 4. quæ non absimili stratagemate *Lahel* belli Ducem stravit & somnum temporalem æterno copulare coëgit? An non fortis imo fortissima mulier illa *Machabæa* septem fratrum Machabæorum Mart. & mater & Martyr, de qua non immerito insignis hujus ævi scriptor:

Muliebris hæc statua, constantiæ imago est
De nomine nihil certum: miracula nomen non habent
At qui miraculum: est constans fœmina
Et narratâ gloriosâ filiorum victoriâ.
Quæris num fleverit Mater?
Non plus quàm lapis.
Suas lachrymas alienis in oculis ridet,
Spectat suos Heroas, spectata Herois:
Seipsam in singulis miratur,
Et singulos tuetur, dum intuetur.
Aſræ volucri similis, quæ alumnos obtutu firmat
Sic uno die septies Mater, & Martyr,
Post septena filiorum funera exarsit.
Et planetarum numero addidit firmamentum.

An non hæ matronæ mulieres fortes? sed aliam longe fortiorem, & potentiorem quærebat hic sapientissimus Princeps illã de qua canit Ecclesia *Virgo Potens*: Et quidem hanc ipsam esse quam *Salomon* requirebat mellifluus *Bernardus*, non uno sed diversis in locis asseverat: Et primo serm. 2. sup. Miss. *Quam vero* ait *aliam Salomon requirebat cum dicebat mulierem fortem quis inveniet? noverat quippe vir sapiens hujus sexus infirmitatem fragile corpus, lubricam mentẽ: quia tamen & Deum legerat promisisse, & ita videbat congruere, ut qui vicerat per fæminã vinceretur per ipsam: vehementer admirans ajebat: Mulierem fortem quis inveniet? quod est dicere: si ita de manu fœminæ pendet, & nostra omnium salus & innocentiæ restitutio, & de hoste victoria: fortis omnino necesse est, ut provideatur quæ ad tantum opus possit esse idonea. Sed mulierem fortem quis inveniet? At ne hoc quæsisse putetur desperando, subdit prophetando: Procul & de ultimis finibus pretium ejus, hoc est non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra, sed de cœlo, nec de cœlo proximo terris pretium fortis hujus mulieris, sed à summo cælo egressio ejus.* Eadem repetit

petit *ſerm. ſecundo* grali *Mirabatur* ait *olim & Salomon, & velut deſperanti ſimilis ajebat, mulierem fortem quis inveniet?* Eodem ſenſu, eadem verba interpretatur *Dionyſ. Carthuſ. Salomon ergò* inquit *deſuper copioſe illuminatus, ſciens mundi ſalutem ex filij Dei incarnatione pendere nec decens eſſe unigenitũ Dei incarnari niſi ex mundiſſima ac virtuoſiſſima muliere, immò & virgine affectuoſa admirante gratulabundaq; mente locutus eſt: Mulierem fortem quis inveniet? quaſi dicat, O utinam talis naſcatur ac veniat. O quis eam reperiet & videbit quæ utiq; niſi à Deo mittatur, & talis ac tanta per ſpecialiſſima gratiarum Chariſmata efficiatur, numquid poterit eſſe, aut inveniri quum tanta ſit fœminarum infirmitas naturalis. Procul & de ultimis finibus pretium ejus: ideſt tanta eſt dignitas ac pretioſitas fœminæ ac virginis hujus, quod in mundo iſto inferiori ei nil poterit comparari, ſive æquari, ſed angelicæ dignitati æquatur, immò & ineffabiliter antefertur.*

§. I.

TAnto major alicujus fortitudo & potentia, quanto major fortiorque eſt is quem proſternit: jam verò fortiſſimos quoſ

quoſque B. hæc Virgo ſuperavit. Magna fortitudo *Davidis*, qui adhuc adoleſcens vrſum, & leonem oves invadentem interfecit, & *Goliathum* Phyliſteum gigantem funda & lapide dejecit, proprioque gladio illi caput amputavit 1. Reg. 14. v. 34. & 51. Magna item fortitudo *Samſonis* qui Aſini mandibula mille viros proſtravit, & moriens plus quam mille viros interemit Jud. 15. & 16. Magna deniq; fortitudo *Gedeonis* aliorumque quamplurimorum quorum in ſacris litteris fit mentio. At incomparabiliter major potentia & fortitudo virginis glorioſiſſimæ: quæ non hominem aut Belluas, ſed tres potentiſſimos qui alias ſemper triumphare ſolent, & teſte *Alberto Magn.* Deum omnis fortitudinis principium & originem ſuperavit, juxta quod ipſe fatetur in Can. 4. *Vulneraſti inquiens cor meum ſoror mea ſponſa in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui:* & alibi Cant. 6. *Averte oculos tuos à me quia ipſi me avolare fecerunt:* ſuperavit item principem tenebrarum, cujus tanta eſt fortitudo, ut teſte Job. 41. *Non ſit poteſtas ſuper terram quæ ei comparari valeat:* juxta quod dictum eſt illi Gen. 3. v. 15.

ipſa

ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius. Denique & mortem, cui nemo mortalium resistere potest quæ *per peccatum intravit in mundum, & ita in omnes homines pertransijt*: ad Rom. 5. v. 12. superavit: dum per eam vita redijt.

De *Iacob* Patriarcha S. Geneseos narrat historia quod rediturus ex *Mesopotamia* ad terram Chanaan Patriam suam, transductisque omnibus quæ ad se pertinebant manserit solus: *Et ecce vir luctabatur cum eo usq; mane. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus qui statim emarcuit: Dixitq; ad eum, dimitte me jam enim ascendit aurora. Respondit q; Iacob: Non dimittam te nisi benedixeris mihi: Aitq; Angelus ad eum. Quod est nomen tibi respondit, Iacob: at ille nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum sed Israël. Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Gen. 32. Insigne specimen illius belli quod intercessit inter glorioſissimam virginem & Deum ipsum, cui non immerito & nos applaudamus dicentes, quoniam si contra Deum fortis fuisti, si vicisti invincibilem, ligasti omnipotentem: quanto

magis

magis contra alios hostes tuos prævalebis: sed jam videamus qualiter, quove armorum genere potentissima hæc Virgo Deum superarit.

§. 2.

DE Rhinocerote inter omnia animalia fortissimo post Leonem; referunt naturalistæ, quod tantæ existat fortitudinis ut nullas vires hominum, aut animalium reformidet: tantæque in cursu velocitatis ut impossibile sit ipsum à cursu remorari unicum est quo ejus ferociam quis domare & eum à cursu sistere potest, nimirum si pulcherrimam adolescentulamque virginem ei in occursum mittat: illius enim intuitu fetociam mox ponit, à cursu velocissimo se cohibet, caputque suum virginis sinui imponens, se capi ligarique permittit: Deus opt. max. terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia: insuperabilis prorsus erat ante incarnationem ut non immerito eum Rhinoceroti *Iobus* cap. 39. compararit *Numquid volet* inquiens *Rhinoceros servire tibi aut morabitur ad præsepe tuum?* Tantæ erat fortitudinis, ut fortissimi robore hunc Rhinocerotem à cursu sistere aut ferociã

domare

domare nequierint: fortissimi erant Patriarchæ & Prophetæ veteris testamenti, nec tamen quisquam huic Rhinoceroti appropinquare ausus fuit, multò minus eum capere potuerunt. Tandem ecce pulcherrima Virgo hunc à cursu remoratur, carne humana cooperit, tantumq; ejus ferociam placat ac mitigat, ut à quovis etiam potuerit capi, ligari & irretiri. Audite S. *Thomam à Villa nova serm. 4.* de Nat. Domini: *Quid* ait *filio Dei similius quam filius unicornium? Captus est ipse amore virginis & majestatis oblitus carneis vinculis irretitus*: unde in Cant. quasi capturam suam prævidens ex amore ad virginem clamat: *Averte oculos tuos à me quia ipsi me avolare fecerunt.*

§. 3.

AD potentiam hujus victoriosissimæ Virginis amplius declarandam inseruit fabula quam in *Iliade* refert *Homer*. Nimirum summum Deorũ *Iovem* in universũ genus humanum vice quadam propter innumerabilia flagitia & scelera, ita indignatum fuisse, ut non amplius in terram descendere nec hominum misereri, sed in cœlo manere, amœnissimaque cœli prata per-

perambulare decreverit. Commoti alij Dij ſuper hoc, maximamq; hominum miſeriam proſpicientes unanimiter eum, ut ad terram deſcendere hominibusq; compati dignaretur rogarunt. Annuit votis ac precibus Deorum *Iupiter* & ſe in terram deſcenſurum promiſit, hac conditione: ſi eum aurea catena ad hoc fabricata in terram pertrahere valerent: Conditionem acceptarunt alij & qua poterant virtute eum è cœlis trahere conabantur, ſed fruſtra: nullus ex omnibus tantæ inventus eſt fortitudinis qui eum è cœlo ad terram pertrahere poſſet, tandem advenit Dea *Venus* quæ tanta vi attraxit catenam, ut *Iupiter* in terram deſcendere coactus fuerit, ſimulq; mandarit, ut *Venus* non amplius imbecillis, ſed robuſta & generoſa poſt hæc appellaretur. Fabulas mittamus: in graviſſimam olim accenſus erat iram in univerſum genus humanum unigenitus Dei filius, ſeipſo teſt. *Zach. 15. Ira magna ego iraſcor ſuper gentes, & ſagittas meas complebo in eis*: Et Pſal. 105. *Iratus eſt furore Dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam*. Et cœli amœniſſima prata perambulans renuebat venire in

re in terram, gratijsque & donis suis hominum necessitatibus subvenire. Quid agerent Patriarchæ & Prophetæ de quibus dictum est Ps. 81. *Ego dixi Dij estis & filij excelsi omnes?* Miserti totius generis humani calamitatibus, nil aliud agebant, quam noctè dieque gemitibus incessabilibus Deum exorare: hoc unum enixissime postulantes, ut ad salvandum genus humanum è cœlis ad terram descendere dignaretur: Hinc frequentissima illa suspiria, ac preces jaculatoriæ. *Esai. 64. Vtinam dirumperes cœlos & descenderes: Veni Domine & noli tardare relaxa facinora plebi tuæ: Ostende faciem tuam & salvi erimus. Domine inclina cœlos tuos & descende.* Et denique *Moyses: obsecro Domine mitte quem missurus es.* Flectebatur quidem tot dilectorum suorum precibus, nec tamen ad terram descendere consensit, nisi hac conditione pacta, ut aureâ itidē catenâ eum de cœlo attraherent: Traxerunt ergo quotquot tum temporis vixerunt: Traxit *Abraham*, traxit *Iacob*, *David*, alijq; innumeri qui licet essent fortissimi, nec tamen tanta eorum fuit fortitudo, ut ad terram eum trahere possent: *Defuncti* enim

sunt

sunt omnes isti teste Apost. Hebr. 11. *non acceptis repromissionibus.* Accesit tandem fortis illa mulier, dudum à *Salomone* quæsita, virgo potens, & Deipara, tantaque vi catenam traxit ferventissimis suis desiderijs, ut eum ad terram descendere coëgerit, *post hæc* teste Propheta *Baruch, cap. 3. in terris visus est & cum hominibus conversatus est.*

§. 3.

SAcra Regum narrat historia lib. 2. cap. 2. ad mandatum *Abner & Ioab* principum militiæ exercituum *Saulis & Davidis*, egressos duodecim juvenes ab utraq; parte ad certandum, *& apprehenderunt quisq; caput proximi sui & defixit gladiũ in latus proximi sui, ceciderunt q; pariter vocatusque locus ille est ager robustorum.* Non longe absimile bellum fuit (si id moraliter intelligere liceat) inter Deum ac Bm̃am matrem ejus de eoque prædictum videtur à Propheta *Hierem. 46. fortis impegit in fortem & ambo pariter ceciderunt:* Nimirum fortis & potens Virgo impegit in fortissimum Deum, amboque pariter ceciderunt: illa, per humilitatem se infra omnes creaturas humiliando, & dimittendo, inquiens *Ecce ancilla Domini*

mini fiat mihi secundum verbum tuum : Hic verò per incarnationem, à summo cælo egrediendo, & viliſſimo carnis indumento ſe cooperiendo: præclaram hujus victoriæ figurã exhibet nobis *lib. Iudith cap. ultimo*, quo mirum aliquod de victorioſa hac vidua refertur: canticum ſiquidem regratiatorium pro obtenta victoria Deo concinens inter cætera ait: Jud. 16. *Sandalia ejus rapuerunt oculos Holofernis*. Mirũ & ſumme mirum. Comparuerat caſtiſsima hæc vidua coram Principe *Holopherne*, omni genere exquiſitorum ornamentorum ornata: *Laverat corpus ſuum, mirrha optima unxerat ſe, crines capitis ſui diſcriminarat*: nihilque ei deerat quod ad ornandam eam, conducere poſſet, & tamen nihil horum eſt quod Ducem *Holophernem* in ejus accendit amorem, ſola *ſandalia rapuerunt oculos ejus*. Quid hoc rei? Non vides magne Aſſyriorum princeps radiantes hujus pulcherrimæ viduæ oculos, qui etiam pectoribus & animis omni calore deſtitutis amoris ſagittas infigere poſſent? non vides comam capitis pulcherrime diſcriminatam, caput mitra præſtantiſſima decoratum? genas

sanguinolento formosas colore? labia purpurea? non intueris collum monilib⁹ exornatum, deniq́ue præstantissimum corporis istud ebur? sed non attendit ad ista *Holofernes* tantum enim pulchritudinis erat in pedibus, ut cæterorum omnium obliviscens, & ea quasi cæcus pertransiens, in solos pedes defigat aspectum: *Sandalia sola rapuerunt oculos ejus.* Revera magna pulchritudo & artificium hisce calceis inesse debuit, quæ hominis oculos rapiant. Summe quidem hoc, sed longe amplius mirandum quod cælestis sponsus Spiritus sanctus, in amorem suæ sponsæ pulcherrimæ exarserit, idq́ue non alio modo quam *Holofernes* in amorem *Iudithæ*: ex intuitu scil. calceamentorum & ingressus ejus: Cant. 7. *Quam pulchri* inquiens *sunt gressus tui in calceamentis filia principis.* Innumerabilia erant hujus divinæ sponsæ virginis glorioſæ ornamenta, non qualia *Iudith*, sed quæ eidem innata erant, & tamen illa præteriens sponsus cælestis à pedibus exorditur, pedibus qui sunt infimæ corporis partes terram tangentes, & omnibus sordibus patentes. An non convenientius à capite incepisset uti spon-

sa in

sa in descriptione ipsius processerat, *Caput* inquiens *illius aurum optimum*? sed non sine causa à pedibus oritur encomia sponsæ suę sponsus cælestis, profundissimum hic latet mysterium. Sciebat enim hanc esse illam quæ profundissima humilitate sua pestiferum serpentis caput, superbiamque ejus contritura erat: Quid enim per gressus & pedes qui sunt infimę corporis partes aliud quam profundissima hujus virginis humilitas designabatur; Quemadmodum enim per cætera membra corporis virginei tropologice & mysticę ejus virtutes designantur, sic & per pedes qui fundamentum sunt & basis quibus totum corpus sustentatur, humilitas quæ est basis & fundamentum omnium virtutum B. hujus Virginis intelligitur. Et hæc virtus est quæ oculis sponsi in tantum placuit, ut omnes sponsæ virtutes descripturus ab ea sumat exordium: hæc sunt *sandalia* veræ *Iudith quæ rapuerunt oculos* non Principis & Ducis Assyriorum sed Regis Regum, Domini Dominantium & principis pacis.

§. 5.

APprime propoſito noſtro quadrat quod de pulcherrima totius Ægypti *Rodope* narrat *Aelianus*, nimirum cum die quadam juxta aquas Nili ut ad ſolem tipſana ſua exſiccaret nudis pedib⁹ ſtaret: quod adveniens aquila quædã poſt diuturnam circumvolitationem rapuerit unum de calceis ejus (quem mira confectum arte & pulchritudine ancillarum ſuarum cuſtodiæ demandarat) eundemque in *Memphim* deferens, Regis qui jam in ſolio juſtitiam adminiſtraturus conſederat, immiſerit ſinui. Miratus Rex inſignem calcei pulchritudinem, ſimulque avis factum contemplans, mox eam cujus hic calceus erat inquiri faciens, ac tandem inventam *Rhodopen*, ſibi matrimoniali thoro ſociavit. Cedant vana ſacris: Spiritus ſanctus non Rex ſolum, ſed & Deus univerſorum à ſæculis & ab æterno MARIAM in ſponſam elegiſſe omnibus notum eſt. Sed quæ cauſa fuit quod hanc virginem præ cæteris elegit? cauſam audite. Non alia fuit quam pulchritudo calceamentorum ejus, ut merito repetam *ſandalia Iudith*, *ſandalia* MARIÆ

rapue-

rapuerunt oculos Spiritus sancti. Circuiens siquidem mundissimus hic spiritus universam terram, nullam inter omnes mulieres à sorde mundam reperit, siquidem (*nullus mundus à sorde nec infans cujus est vita in unius diei super terram*) nisi beatissimam hanc Virginem: omnium etenim mulierum pedes immundos, & peccato infectos reperiebat. Tanta erga hujus virginis calceamenti captus pulchritudine, non distulit quin eam sibi thoro sociaret, sponsam eligeret, regnique diademate redimiret. Hæc sunt *sandalia* quæ *abstulerunt cor & robur filij Dei*: Testatur hoc ipsum ipsamet in Cant. Cantic. *Dum esset* inquit *Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum.* Quem locum perpendens *Rupertus*: ait accubitum patris esse sinum patris, in quo ab æterno requievit unigenitus Dei filius, juxta verba Evangel. *Ioannis, unigenitus filius qui est in sinu patris.* Et per herbam nardi intelligi virtutem humilitatis: dicens ergo Beatissima mater: *Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum:* idem est ac si diceret ab illo tempore, imo ab æterno cum in sinu æterni patris sponsus cælestis esset,

percepit humilitatis meæ odorem ſuaviſſimum, qui tantum illi placuit ut illius illectus odore in hanc lachrymarum vallem deſcenderit & ex meis ſacris viſceribus carne ſe veſtiret. verba *Ruperti* ſunt: *Rex in accubitu ſuo verbum eſt in ſinu Patris, & dum ita eſſet, nardus humilitatis* MARIÆ *dedit odorem ſuum, cujus odore delectatus deſcendit in uterum ſuum.*

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Encomium Marianum *Decimum Octavum.*

VIRGO CLEMENS.

QUemadmodum docent unanimiter cum Doct. Angelico omnes Theologi in Tract. de Incarnat. Chriſtus Dominus habuit omnes virtutes infuſas ab inſtanti incarnationis, illis ſolum exceptis quæ imperfectionem ex natura ſua important, quales ſunt fides, ſpes pœnitentia, &c. Cum fides importet obſcuritatem, ſpes abſentiam boni, concupiti, pœnitentia autē præſupponat peccatum, quod in Chriſto

locum

locum habere non potuit: sic & aliæ virtutes quæ ordinantur ad moderandas animi passiones fuerunt quidem in illo, sed in gradu heroico, ideſt ſecluſis imperfectionibus: eò quod in Chriſto non fuerint paſſiones, ſed ſolum propaſſiones: Pari vere modo de glorioſiſſima Chriſti Matre Virgine differendum eſt: in ipſa ſiquidem vel non fuerunt paſſiones ut vult *D. Thomas* vel ſi fuerunt ut volunt alij, ita fuerunt ligatæ per gratiam, ut numquam potuerint illi eſſe cauſa peccati: quamvis probabilius ſit aſſerere cum *D. Thoma* non fuiſſe in illa paſſiones inordinatas, eo quod fomes peccati, & radix paſſionum fuerit in illa prorſus extinctus ut eſt communior Theologorum & ſanctorum Patrum opinio: ſic ergo eſt, & in ipſa *Clementia*, de qua in præſenti nobis eſt ſermo ut non immerito toties hanc ipſam *clementiſſimam cælorum Reginam*, *Reginam clementiæ & pietatis* ſimilibuſque titulis compellent S. Patres.

§. I.

INter virtutes nulla eſt quæ ita deceat Reges, principes, Magiſtratus & ſuperiores ſicuti *Clementia* uti enim ſecundum natura-

turaliſtas cor eſt principale membrum in homine, & ideo proprium ſanguinis domicilium, illius generativum, contentivum, conſervativum, & ad omnia alia membra diffuſivum: ita pari modo oportet eos, qui ſunt veluti cor Eccleſiæ, principaliaque membra illius, ſuperiores, Dominanteſq; in grege, ſanguine, id eſt *benignitate & clementia* eſſe pleniores, quia ſcilicet iſta virtus debet in eis principaliter habitare, & ab ipſis ad alios dimanare: valde enim decet quemcumque ſuperiorem ut in factis ſuis clemens ſit & benignum & amabilem in omnibus ſe oſtendat: unde & Seneca *lib. de clementia* ait: *Nullum clementia magis quã Regem decet*, cauſamque mox ſubdit: *Nam majeſtas peſtifera vis eſt ad nocendum*: Definit autem citat. *Seneca clementiam lib. 2. cap. 3. Clementia eſt temperantia animi in poteſtate ulciſcẽdi, vel lenitas ſuperioris, adverſus inferiorem in conſtituendis pœnis.* Et infra *Clementia* ait *eſt moderatio aliquid ex merita ac debita pœna remittens.* Si ullus unquam profecto in hac virtute excelluit, excellitque etiamnum *clementiſſima cælorum Regina*: ut non incongrue in eam adoptentur verba

ſapien-

sapientis *Prov. 20. misericordia & veritas custodiunt hanc Reginam & clementia roborabitur thronus ejus.* Et quod in Reges Israël olim ab Assyrijs prolatum est in ipsa solum & filio ejus verificetur: Reges *Israel clementes sunt: 3. Reg. 20.* vere enim solus hic Rex Christus & Regina Israël *clemẽtes* sunt. Imo tanta est hujus glorioſissimæ Reginæ clementia, ut teste *Seraphico Bonavëntura* finem nesciat : inquit enim ad eam in suo *Psalt. Mar. Psal. 104. Clementia tua non deficiet à sæculis æternis & misericordia tua in generatione in generationem:* Et iterum Ps. 146. *Magna est* inquit *virtus & gratia illius & clementia illius, nullum habebit finem.* Et deniq; in explicatione salutationis Angelicæ hoc modo eam salutat.

O clemens indigentibus,
O pia exorantibus,
O dulcis diligentibus.
O clemens pœnitentibus,
O pia proficientibus,
O dulcis contemplantibus.
O clemens in aspectu, O pia in affectu,
O dulcis in amplexu.

§. 2.

DE Regina *Hester* ferunt sacræ litteræ, quod cum non vocata ingressa fuisset ad Regem, ac ex hoc mortis rea facta esset, Rex quidem initio furorem pectoris sui indicaverit, at videns eam animo super hoc anxiari, mox è solio suo exiliens virgam auream in signum *clementiæ* ad eam extendit. Non aliter vera illa *Hester* Virgo sacratissima peccatoribus sese pie invocantibus *clementiam* à filio impetrat, & furorem iræ Dei in mansuetudinem convertit, ut non immerito eam alloquens pientissimus *Thaulerus: O quoties* inquit *tremendi Iudicis sententiam aut mitigasti aut avertisti: Citius cœlum cum terra perierit, quam tu aliquem serio te invocantem tua ope destituas: Revera tu & es & diceris Mater Regina misericordiæ*: addam ego *clementiæ* adstipulante mihi & *Seraphico Bonaventura* qui eam fontem *clementiæ* non dubitavit appellare, *salvum me fac* inquiens *Psal. 11. Mater pulchræ dilectionis, fons clementiæ & dulcor pietatis*: & *Ludovico Blasio*, qui eam *clementiæ* parentem appellare non dubitavit: *Ave* inquiens *summæ clementiæ, summæq; lætitiæ beatissima Parens*

rens MARIA, *per quam cælestis Benedictio & felicitas æterna ad nos dimanavit, cujus memoria exhilarat mœstos, cujus contemplatio sanctos demulcet, &c.* Et profecto sic decuit: decuit inquam matrem filio per omnia assimilari, ac proinde sicuti mitissimus & clementissimus fuit filius, ita mitissima & clementissima fuit Mater: Neminem à se unquam repulit, neminem sine beneficio dimisit, pauperes eligit, parvulos admittit, turbas & Apostolos post Christi in cælos assensum docet. Et deniqúe omnibus *misericordiæ & clementiæ* Matrem se exhibet. Hanc ergo & nos incessanter compellemus consuetis hymni Mariani verbis:

Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac & castos.

Quod si mansuetis & mitibus hæreditas terræ promissionis promissa & reservata est, juxta Christi proloquium: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram*: Debuit certe mansuetissima fuisse Mater Dei, Virgo glorioſa, utpote quæ excellentissimam partem hæreditatis cælestis, & primam

mam inter omnes Dei electos post filium suum obtinuerit, cælorum Imperatrix Augustissima, ab eodem constituta.

Moysen qui ex opilione totius Israëlitici exercitus pastor ductor & princeps fuit à mansuetudine sum̃is laudib⁹ extollunt sacræ paginæ, quod esset *vir mitissimus super omnes homines qui versabantur in terra.* Et si dictis divini *Dionysij* fidem astruimus ob hanc solam causam *Moyses* Deo fuit familiarissimus, quia erat mitissimus, imo omnibus Prophetis dignior quia omnibus mitior : Nec prius divinam amicitiam læsit quam à mansuetudine nonnihil defecit: Magna quidem *Moysis* mansuetudo, at longe major virginis benedictæ, quam bene dicemus in mansuetudine *Moysis* Magistram; credendum utique quod sicuti nulla alia creatura filio Dei incarnato fuerit similior in omni perfectione & virtute, sic & credendum nullum alium in tantum fuisse imitatum doctrinam & instructionem filij sui, qua dicit : *Discite à me quia mitis sum & hũilis corde: Mat. 11.* credẽdũ quoq; quod sicuti olim in *Tabrobana Insula* teste *Selino* ille solum Rex eligebatur, qui spectatis moribus

bus habebatur, & qui erat inveteratæ *clementiæ*, sic etiam cæli terræq; clementissimus Dominus, non aliam elegerit in cœli terræque Imperatricem, quam quæ clementiæ laude esset nominatissima & excellens.

Ulterius excellentiam clementiæ virginis benedictæ colligere licet ex conditionibus quas requirit in homine mansueto. *Chrysostomus Hom. 29. ad pop. Antiochenum: Mens* inquit *hominis mansueti, montis vertici similis est, auram quidem habenti tenuem, purum vero radium, pura fontium fluenta, multasq; florum amœnitates: & sicut dies clara & serena, ita animus est mansueti. Cum cælum est in nube, cum sol ridet omnia longe jucundiora, quam cum fœde ruunt supernæ potestates: sic & oris mansueti homo dictis suis factisque omnibus incredibilem aspirat gratiam solâ mansuetudinis serenitate.* Quis quæso perfectius has ostendit in se conditiones, quam virgo mansuetissima, inter tantas tempestatum procellas, tot suos & filij dolores tota serena permanens? sed de his infra.

CAPUT

Caput Decimum Sextum.

Encomium Marianum *Decimum Nonum.*

VIRGO FIDELIS.

EXimiam & fœmineam quodammodo facultatem superantem *Ruth* moabitidis erga *Noëmi* socrum suam fidelitatem, non immerito eximijs præcelsisque præconijs, vivo oris sui penicillo in sacris litteris depingit Deus: cum enim jam desolata *Noëmi*, utpote viro suo utroque filio *Orphæ & Ruth* maritis divina manu destituta esset: ac nuribus suis juberet ut quæque rediret in domum matris suæ, eisque bene precata esset ac à se dimittere vellet: acquiesceretque dictis *Orpha*, nequaquam tamen eis acquiescere voluit *Moabitidis Ruth* sed socrui suæ discessum suadenti ait: *Ne roges me ut relinquam te, aut recedã à te, quocumq; enim perrexeris pergam & ubicumque morata fueris morabor: populus tuus populus meus: ubi mortua fueris moriar ibiq; sepeliar, sic faciat mihi Deus & sic addat nisi sola mors supe-*

ſeparaverit me à te. Non immerito hanc tantam fidelitatem laudibus ac præconijs tantis celebrat ſacra pagina. Quam tamen longe ſuperat fidelitas illa quam omnibus ad ſe confugienribus, ſeſe inceſſanter invocantibus, ſeque ejus patrocinio & ſubſidio commendantibus, exhibet Auguſta cælorum Imperatrix, non Dei ſolum ſed hominum omnium ſe materna pietate matrem exhibens: *Commendatur* inquit *B. Albertus Magnus in Parab. Salom. B. Virgo MARIA à ſua fideli charitate quia matrem ſe noſtram nominat, & nos filios ſuos appellat. Prov. 8.* inquiens: *Nunc ergo filij audite me vocantem, conſolantem, pro vobis intercedentem, & vos inſtruentem, Beati ſunt corpore & anima, qui cuſtodiunt vias meas, viam humilitatis contra ſuperbiam, caſtitatis, contra luxuriam largitatis, cõtra avaritiã: Et qui invenerit me humiliter & devote & fideliter ſerviendo, inveniet vitam gratiæ & gloriæ & hauriet ſalutem animæ & corporis à Domino qui eſt ſalus æterna.* Et alio item loco in lib. *Iob. oſtendit* inquit *ſe liberatricem vociferantium peccatorum: Iob. 29. Auris audiens beatificabat me dicens Luc. 1. Benedicta tu in mulieribus & benedi-*

nedictus fructus ventris tui: Oculus videns fidelitatem meam testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem misericorditer, & potenter pauperem vociferantem, id est peccatorem, quem diabolus suffocabat, infernus absorbere volebat, & contra quem omnis creatura insurgere volebat, & disponebat: Et pupillum cui non esset adjutor, nec inter Angelos nec inter homines.

§. I.

EST autem *fidelitas mentis quædam invariabilis rectitudo, quæ inter amicos & inimicos, inter pauperes & divites, servos & Dominos generaliter locum habet:* Est inquam *obligatio quædam naturalis quia quod ad amicitiam rependendam, ad secretum commissum celandum, ad firmitatem propositi & etiam cujuslibet promissi reddendam & habendam se sentit efficaciter obligatum.* Ejusque affectus & effectus erga proximum maximè consistit in dilectione illius quod nimirum illum diligam°, illi subveniamus, illum supportemus & foveamus: Quis jam beatissimæ virginis, virginis utique fidelissimæ, charitatem fidelem, fidelitatemque charitativam verbis exprimat? quis inquam sollicitudinem

nem in peccatoribus ſubveniendo, charitatem in fovendo & amando, promptitudinem in ſuccurrendo & ſubveniendo, patientiam denique in peccatoribus, eorumque peccatis ferendis ſufficientibus encomijs, celebret & decantet. Certe amor ejus in homines quoſcumque etiam peccatores tantus eſt, ut metas ignoret: Et quidem hunc Virginis in hominem humanamque gentem ardentiſſimum fuiſſe ex amore quo eadem virgo in Deum ferebatur colligere licet, cum pari paſſu incedant & ſecundum communiorem Doctoris Angelici & ſectatorum ejus ſententiã unus utriuſque ſit habitus. Ut certe congruentiſſime ad eandem virginem Bmam proloquatur: *Petrus Dam. ſcio* inquiens *ô Domina, quia benigniſſima es, & amas nos amore invincibili, quos in te & per te filius tuus ſumma dilectione dilexit.* Ac in eam optime conveniant ac quadrent encomia, quæ de æterna Dei ſapientia ſpiritus ſanctus protulit: *Ego* inquiens *Mater pulchræ dilectionis & timoris & magnitudinis & ſanctæ ſpei.* Eccl. 24. Nec eſt quod tantam virginis hujus fideliſſimæ erga humanum genus nos in admiratio-

nem rapiat, causam ejus ipsamet adducit in persona *Iob. cap. 31. Ab infantia mea* ait *crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum*: unde misericordiam, pietatem, charitatem & fidelitatem cum ea adoleviſſe, jamque in cælo nobis veniam & gratiam illam depoſcere, Eccleſiæ conſenſus & noſtra fides aſſerit. Pro hominibus dum vixit ſupplicavit, in nuptijs Canæ Galileæ, ubi filium rogavit ut tenuioribus ſponſis ſubveniret, idque impetravit: quod ſi hoc fecit in via, multo amplius faciet in patria. *Nam ſi compaſſa est* inquit *Bernardus melliſluus ſerm. 1. in Dom. 1. poſt Epiph. verecundiæ illorum à quibus fuerat invitata, multo magis compatietur nobis ſi piè fuerit invocata.* Maxime cum ſupplicare pro alijs ab amore proveniat, amorque beatorum ac præcipue Matris Domini ac Imperatricis cæli in patria perfectior ſit quam in via fuerit: ac proinde & oratio ex tanta charitate fuſa multo ſit efficacior & penetrabilior quam ullius Angeli, Archangeli, ſancti, imo etiam omnium ſanctorum ſimul & collective ſumptorum, ita prorſus ut ſi una & ſola virgo beatiſſima quippiam rogaret, & omne

cœlum

cælum reclamaret (uti Angelum Angelo reſtitiſſe narrat *Daniel*) potentior tamen eſſet Virginis Matris oratio quam cælitum cæterorum omnium.

§. 2.

GRæcis mos erat ut injuriam à ſe factam defenſurus templum, aram vel ſtatuã accurreret: Qui mos Imperat. ævo Romam migravit, unde & ingenui & ſervi non in templis ſolum, ſed ad quamlibet Imperatorum imaginem, aut ſtatuam aſylum repererunt. Imo ſi *Philoſtrato* fidem damus, ſi quis tantummodo Cæſaris imaginem in moneta ſignatam manu tenuiſſet eum cedere nefas fuiſſet: Longe ſecurius nobis aſylum eſt Mater Dei, templum gratiæ & SS. Trinitatis, & ara miſericordiæ, ſi vel verbulo, vel gemitu accedamus hanc aram tutiſſimi ſumus, imo infinitum tutiores, quam ſi Romanorum Imperatorum effigies manu teneamus: ſub alis hujus phœnicis afflicti plurimum ſubſidij reperiunt: Et jure merito de hac Matre dicimus, *Filij autem hominum ſub tegmine alarum tuarum ſperabunt* Pſal. 35. Et quilibet magno affectu pro ſe dicat. *Inhabitabo in tabernaculo tuo*

protegar in velamento alarum tuarum. Maxima tamen est hujus sacratissimæ Virginis erga peccatores amor, fidelitas & pietas: nec respicit quis, qualis, quantusq; sit peccator quam enormia commiserit scelera, sed quemlibet ad se confugientem, imo ut asserit *Thaulerus, quo quisque se sentit pluribus peccatis irretitum, tanto sibi justius videtur ad te accedere, & quanto est sceleratior, tanto majori jure ad te properare se putat: tu pergit idem auctor, es unicum reorum solamen, unicum peccatorum perfugium, ad quam respectant multorum humescentes oculi cui suspirant compluvia, misera, ac saucia corda.* Et paulò infra; *O quam innumeri* ait *peccatores peccatis dediti Deum deseruerant, omnemq; cælestis patriæ cœtum ac Deum ipsum abjuraverant, & in desperationis voraginem sese præcipites dederant atq; à Deo misere separati erant, qui tamen tibi innitentes, & ad te confugientes benignissime servati sunt, donec te intercedente apud Deum in gratiam restituerentur. Tu sanè es unica singularis & fidelissima peccatorum consolatrix. Te immensa Dei bonitas, & benignitas adeò fecit cunctis peccatoribus amabilem, ut superabundans pietas & benevolentia tua non possit*

nos

nos non afficere & recreare. O quoties tremendi judicis sententiam aut mitigasti aut avertisti. O quoties apud filium tuum nobis gratiam & consolationem impetrasti, &c. Verba sane aurea, quæ utinam tot impij peccatores cordibus suis bene imprimant, & nequaquam de sua desperent salute. Nec minoribus encomijs eandem beatissimæ Matris in peccatores clementiam, fidelitatem & pietatem celebrat mellifluus *Bernard.* serm. panegyr. *Tu peccatorẽ* ait ad eam *quantumlibet fœtidum non horres, non despicis si ad te suspiraverit, tuumq; interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum à desperationis barathro pia manu retrahis spei medicamen, aspiras, foves nec deseris, quousque horrendo judici miserum reconcilies, famosum hujus tuæ benignitatis testimonium, est per te restauratus gratiæ Theophilus.*

Sed unde inquies tanta Virginis Sm̃æ in peccatores pietas & fidelitas ? cum maxima inter illos & eam sit dissimilitudo, utpote cum ipsa sit sanctissima, illi impij & peccatis innumeris obnoxij: *similitudo* autem juxta *Aristot. sit causa amoris*, & dissimilitudo causa aversionis: cum experien-

tia doceat, quam difficile inter se conveniant, illi qui sunt diversæ complexionis & temperamenti: nam juxta *Horatium*:

Oderunt hilarem tristes, tristemq; jocosi,
Sedatum celeres, agilem gnavumq; remissi.

Unde ergò tanta virginis sanctissimæ in homines impios amor & pietas? sed sciendum non solam similitudinem esse amoris causam, est & pietas innata: hinc videmus matrem probam & piam, filium impium quoq; diligere, ob innatam sibi pietatem erga filium & viscera sua; hæcque est causa cur nos licet peccatores, tantoperè Virgo sacratissima diligat, quia scilicet novit propter nos se esse matrem Dei: si enim non peccasset protoparens noster *Adam*, non fuisset certe necesse filium Dei incarnari, ac proinde nec Virgo sacratissima facta esset Dei Mater: scit etiam sibi à filio in cruce pendenti singulariter in filium datum *Evangelistam Ioannem* & in *Ioanne* velut figura totum genus humanum. Quomodo ergo poterit Mater pientissima despicere aut non amare ac fovere filios suos adoptivos? ad propositum autem quærens *Seraphinus Firmianus* cur audaciorem fiduciam

in

in matrem quam filium erigimus: respondetque mox ex *Bernardo & Anselmo*: *Quia in matrem à filio divina pietas derivatur absque justitiæ terrore. In filio licet attrahat pietas terret tamen potestas. Scimus judicem eum adeo exactum, ut rationem de verbis etiam otiosis sit exacturus. Igitur terrore acti ad sinum Matris nostræ Virginis Beatissimæ confugimus: Securi de salute si ab ea numquam recedamus.*

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Encomium Marianum *Vigesimum*

SPECULUM JUSTITIÆ.

NOn ad exiguam Augustissimæ cælorum Imperatricis gloriam & magnificentiam spectare arbitror, quod à S. Matre Ecclesia utique Spiritus sancti inspiratione ducta *speculo* comparetur. Et non cuicumq; sed Speculo justitiæ, sive hoc factum ob nobilissimas speculi proprietates, excellentesque conditiones, quod sive animatarum, sive inanimatarum constitutiones ad vivum repræsentet, quod quæ in eis fœda, deformia aut formosa pulchra occulta

cultâ quâdam vi demonstret : sive hoc factum ob similitudinem quam habet cum illo æterno speculo , *æterna Dei sapientia verbo Dei in excelsis* : quam cum magnis eximijsque præconijs illud sapientiæ oraculum Rex *Salomon* celebrasset, *atq; aurum argentum, thesauros lapidesq; pretiosos nihil esse duxisset in comparatione illius* : tandem illius excellentiam paucis comprehendere volens : *Candor est* inquit *lucis æternæ speculum sine macula sap. 7.* Angelorum quoque naturas describens Divinus *Dionys. cap. 6.* de Div. nom. inquit eos esse *Agalmata*, id est *specula clarissima, immaculata divini luminis receptiva , & ipsius alijs manifestativa ac ostensiva, quia scilicet illud quod Angelus gustando & contemplando divinitus percipit alijs inferioribus notificat & transfundit. Continuo enim faciem patris contemplatur & illud quod ibi viderit ad alios transfundere comprobatur: superiores enim illuminant inferiores , & lumen quod à Deo recipiunt influunt in minores.* Ad has utiq; prærogativas respexisse videtur S. Mater Ecclesia, dum Virginem gloriosam speculo justitiæ comparare voluit.

§. I.

§. I.

SPeculum ergo *Iustitiæ* eam appellat: sumendo justitiam generaliter in quantum est omnis virtus & ut dicit statum omnium virtutum aggregatione perfectum, sicuti de ea frequens in sacris litteris fit mentio : *Attendite ne faciatis justitiam vestram coram hominibus, & nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cælorum*: unde juxta hanc intelligentiam solemus eum qui omnibus est exornatus virtutibus, justum vocare, uti dicit *S. Script. de S. Ioseph. Ioseph autem cum esset justus*, id est perfectus in omni virtute: dicendo ergò MARIAM *Speculum Iustitiæ*, idem fuit ac si diceretur Speculum omnis sanctitatis, justitiæ, & veritatis, speculum mundissimum, in quo omnium virtutum infusarum species clarissime reluceant, speculum in quo quid cavere, quidve æmulari quilibet possit, resplendeat: quamvis enim certum sit, in B. quoque Virgine fuisse eam *Iustitiam* quæ in rigore est *Iustitia*, & à Theologis definitur *esse constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*, utpote in qua fuit habitus

gratię ſanctificantis intenſiſſimo in gradu, ex quo veluti proprietates ab eſſentia dimanant fides, ſpes, charitas, juſtitia, ac omnes virtutes morales infuſæ : nihilominus quia juſtitia rigorem quendam & auſteritatem ſonat, Virginique benedictæ ſingulariter miſericordiæ regnum ſit commiſſum in quam uti *Encom. præced.* ex *Anſelmo* & *Bernardo* oſtendimus, miſericordia ſine juſtitiæ rigore ſit derivata, placet magis à juſtitia ſtrictè ſumpta abſtrahere, & eam ſecundum generalem rationem jam ante explicatam ſumere ac interpretari.

§. 2.

SEd ecce divinum hoc juſtitiæ ac omnis ſanctitatis Speculum omnibus nobis clariſſime ob oculos ponit, digito veluti omnes virtutes in ea relucentes demonſtrans *Præſul Mediolanenſis Ambroſ.* cujus authoris verbis aliquid ſuperaddere præſumptuoſum eſſet: *Sit igitur* quartus Eccleſiæ hic Doctor *vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque Beatæ* MARIÆ, *in qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magiſteria*

expreſſa

expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea quam splendor elegit? quid castius ea quæ corpus sine corporis contagione generavit? nam de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens, intenta operi verecunda sermone arbitrum mentis solita Deum quærere non hominem: nullum lædere, benè velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes, quando dissensit à propinquis? quando ista fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? eos solos solita virorum cætus invisere quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, gustus fractior, non incessus solutior, non petulantior: ut ipsa corporis species simulacr-

fec-

fuerit mẽtis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci & à primo prætendat ingressu nihil intus latere tenebrarum: ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita tanquam lucernæ, lux intus posita foris luceat. Quid ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam? alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturæ defuisse? illic nulla intermissa tempora hic congeminatos jejunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delitias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit. Et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat. Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conveniret, & hoc ipsum cum parentibus & propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode quam seipsa: quæ incessu affectuq; venerabilis non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret: & tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem. Plures erant de

qui-

quibus discat si ipsa se doceat, quæ virtutes magistras habet, quia quidquid egerit disciplina est. Sic MARIA *intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur: sic implebat omnia virtutis officia, ut non tam disceret quam doceret. Talem hanc Evang. monstravit, talem Angelus reperit, talem spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei prædicaverint, quæ digna fuit ex qua filius Dei nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus Angeli inventi domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet, neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quemadmodum sola cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? quam vero religiosa in propinquas fuerit, scriptura divina significat, nam & humilior facta est ubi se à Deo cognovit electam, & statim ad cognatam suam in montana processit, non utiq; ut exemplo crederet quæ jam crediderat oraculo: Beata enim inquit quæ credidisti. Et tribus cum ea mensibus mansit. Tanti enim intervallo temporis non fides quæritur, sed pietas exhibetur. Et hoc postea quam in utero parentis exili-*

exiliens puer matrem Domini salutavit, prius compos devotionis quam naturæ. Inde tot sequentibus signis cum sterilis pareret, virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret magus, expectaret Simeon, sydera nunciarent: MARIA *mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum: conservabat inquit hæc omnia in corde suo.* Ac tandem concludens post pauca, *hæc est* inquit *imago virginitatis. Talis enim fuit* MARIA *ut ejus unius vita omnium disciplina sit. Si igitur author non displicet, opus probemus: ut quicumque ejus exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in una virgine species virtutum emicant? secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium, virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad exemplum.*

En speculum justitiæ, speculum omnis sanctitatis & perfectionis à *S. Ambr.* toti mundo propositum, viviſque laudum coloribus delineatum: *Speculum* inquam & *Exemplar* in quo quid imitari, quid cavere & fugere debeamus, abundantissime relucet *speculum* denique in quod secundum mentem jam citati *S. Ambros.* pulcherrime quadret encomium illud in æternam

Dei

Dei sapientiam prolatum. *Candor est enim lucis æternæ speculum sine macula & imago bonitatis illius*, superboni & pijssimi Dei, cujus certe bonitas clarissime manifestatur in hoc: quod bonitatem suam, in tanta plenitudine communicat Matri suæ beatissimæ, ipsam efficiens spiritus sancti omniumque virtutum sanctissimum habitaculum, & exemplar absolutissimum.

§. 3.

MAndarat olim *Moysi* Hebræorum Duci; Deus ut sacrario in quo sacerdos sacris operaturus, ac sancta sanctorum ingressurus erat, se se sacris vestibus exornabat, de *speculo* provideret, in quo nimirum sacerdos se ipsum contemplaretur, ut ab omni corporis labe & macula exterius emundatus, benè decenterque compositus, in conspectu Domini appareret. Est ab eis ad nos usque laudabilis hæc consuetudo derivata, ipsamet quotidiana docente experientia ut in loco seu sacristia, in quo sacerdos Missæ sacrificium celebraturus se disponit *speculum* habeatur, utique ob eundem finem. Speculum aliud non materiale sed mysticum, in sacrario Ecclesiæ sponsæ

suæ

ſuæ conſtituit nobis DEUS, Virginem inquam glorioſam: quod tanto magis nobis in lege nova neceſſarium, quanto ſanctitas ſacrificij, aliorumque rituum legis novæ excedit ſanctitatem externam ac legis antiquæ: tanto magis inquam, quanto in nobis requiritur ſanctitas, interior virtutum & gratiarum, quæ in virgine glorioſa velut *ſpeculo* lucidiſſimo elucent. In hoc ſpeculo habent quod imitentur, ſuſpiciant ac venerentur humilis, mitis, devotus, caſtus, temperans aliarumque virtutum pro poſſe ſuo cultores: Habent iterum in eodem quod fugiant, deſpiciant ac abominentur ſuperbus, iracundus, acedioſus, luxurioſus, intemperans, alijque aliorum vitiorum amatores. Eja ergo ad hoc ſpeculum oculos mentis noſtræ inceſſanter attollamus: in hac Virgine velut in *ſpeculo* refulgente nos ipſos totos conſideremus, quod in nobis devium deprehendimus, corrigamus, quod deforme deponamus, quod pulchrũ excolamus, quod ſanum ſervemus, in eo præcepta Domini infatigabiliter attendamus & quid nobis cavendum, quidve eligendum ſit, ex eis ſufficienter inſtructi agnoſca-

noſcamus: ſerviet utique hujus *ſpeculi* intuitio aſſidua, ad cauſandum in nobis vitiorum omnium fugam, & horrorem: virtutum omnium deſiderium, & amorem; & denique fragantiſſimum hujus *ſpeculi* Virginis benedictę in nobis cauſabit affectum experiemurq; in nobis ſpiritualẽ illum effectũ, quem materialem ex materiali ſpeculo Tigridẽ accipere docent naturaliſtæ.

De Tigride enim beſtiarum omnium facile ferociſſima & velociſſima refert *Plinius* catulos ejus in hunc modũ ab ea ſubduci, & capi: ipſa ſiquidem ad paſcua prædaſque ſibi catuliſque ſuis neceſſarias captandas egreſsâ, ajunt venatorẽ occulte ſubintrare cavernam ejus, catulos rapere, ac equo velociſſimo conſcenſo fuga ſibi conſulere, at beſtia paulo poſt ad cavernam regreſſa catuloſque ſibi ſubreptos aſpiciens, mirum in modum ferocire & furere incipit, velut ſi urſa raptis catulis in ſaltu ſæviat ac odore præſentiens viam quam ingreſſus ſit venator: mox velociſſimo eum curſu inſequitur, quem etiam facile quantocumq; longo ſe ſpatio præceſſerit aſſequeretur, niſi venator hac ſibi ratione & ad inventio-

ne consuleret: prævidens enim belluam se insecuturam in via per quam processit *specula* non pauca ponit, ad quæ perveniens bellua, in eisque vultus sui effigiem contemplans, catulorum raptorum obliviscitur, ferociam ponit, ac ita venatori cum catulis fugiendi copiam facit. Nos interdum hujus belluæ morem ad vivum imitamur dum ad illicitas voluptates honores pravasque inclinationes majori quam ad catulos tigris affectu trahimur, ijsque nobis divino nutu salutem nostram intendente aliquando subtractis, omnino ferocire incipimus: Quid hic ageret animarum nostrarum venator sedulus Deus? venatorem alium imitatur, & speculum nobis ob oculos ponit *Speculum Iustitiæ* Matrem suam. Igitur ad hoc ipsum oculos nostros levemus experiemur & nos, quod mille alij, imo innumeri hujus speculi intuitione experti sunt scilicet in nobis oriturum vitiorum horrorem, passionum indomitarum sedationem, & salutis nostræ ac perfectionis desiderium.

CAPUT

Caput Decimum Octavum.

Encomium Marianum *Vigesimum Primum.*

SEDES SAPIENTIÆ.

Quemadmodum paulo ante Virginis Deiparentis summam *prudentiam* S. Mater Ecclesia filijs suis proposuit *Virginem prudentissimam* eam salutans, ita & in moderno Encomio à *sapientia* (quæ inter dona Spiritus sancti non postremum obtinet locum) eam celebrat, *Sedem Sapientiæ* eam compellans, indubie desumpta occasione ex loco illo sapientis qua *Anima justi dicitur esse sedes sapientiæ*. At longe ampli⁹ convenit glorioſissimæ huic Virgini esse *sedem sapientiæ*: in qua quidem & filius & *sapientia* æterni patris sibi habitaculum fixit, & divinus ille Spiritus ab æterno patre unigenitoque filio ejus procedens, septiformis gratiæ suæ munera, ac inter ea singulariter *sapientiæ* donum collocare voluit. Nec incongrue imo SS. P. testimonio conformiter ipsam accipimus pro sede illa, quam in

visione sua Apocalyptica sc asserit vidisse dilectus Domini discipulus, cap. 4. *Ecce* inquiens *in cælo sedes posita erat & supra sedem sedens.* Ipsa siquidem sedes illa est, in quâ Dominus Dominantium humana carne indutus, novem mensibus sedere non est dedignatus.

§. I.

HAnc ipsam sedem in spiritu prævidisse videtur *Psaltes Regius* in Psalm. qui ordinarie in officio & laudibus *Marianis* decantari consuevit, *Eructavit cor meum verbum bonum.* In eo siquidem cum primo dixisset: *specie tua & pulchritudine tua intende prospere procede & regna,* paulo post subjungit: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi:* atq; ut de virgine Matre *sede sapientiæ* manifestius se loqui ostendat, mox addit, *virga directionis, virga regni tui:* jam vero communiter ab omnibus sanctis Patribus, virgæ nomine Virgo B. designatur: unde mellifluus Doctor *Bernardus* Matrem B. salutans serm. 2. in adventu: *O virgo* inquit *virga sublimis, in quam sublime verticem sanctam erigis, usque ad sedentem in throno usq; ad Dominum majestatis? neque id mirum, quoniam in*

altum

altum mittis radices humilitatis ô verè cœlestis planta, pretiosior cūctis sanctior universis. Eodem fere modo Doct. Eccl. *Hieronymus* explicans locum Isaiæ, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet, &c.* Per virgam intelligit Virginem gloriosam: *Nos* inquiens lib. 4. in cap. 11. Isaiæ, *virgam de radice Iesse, sanctam* MARIAM *Virginem intelligamus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem, de qua supra legimus: Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Quod si juxta Prophetam supra florem ex hac virga procedentem requiescit Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, repleatque eum Spiritus timoris Domini: indubie etiam super virgā floris germinatricem, idem spiritus saltem mediate requiescit maxime cum jam ante eam obumbrasse & in eam supervenisse ab Archangelo *Gabriele* fuerit prænunciatum. Si autem florem ipsum, in & ex ea germinatum consideremus esse *sapientiam* ipsam, *quæ ex ore altissimi prodijt, ante omnem creaturam, jam manifeste & luce meridianâ clarius exstat Virginem benedictam sedem sapientiæ,*

ab Ecclesia & sedem Dei à Psalmista nuncupatam in Psalmo jam ante citato.

§. 2.

VEre igneus virginisque Matris amore flagrans *Igniacensis Abbas Guerricus* absque ulla dubitatione ipsam Virginem Matrem per sedem istam à Psalmista adductam intelligi asserit serm. 1. in Annunt. *In ipsa* inquit *& ex ipsa sapientia ædificavit sibi domum, in ipsa & ex ipsa paravit sibi thronum: cum in ea & ex ea corpus aptavit sibi ita ad omnia perfectum & congruum, ut & domus ei sit ad quiescendum, & thronus ad judicandum quod primo ei fuit tabernaculum ad pugnandum & cathedra ad docendum. Vide autem ne forte ipsa sit sedes David patris ejus, quam ei dandam promittit Angelus: non quod David in ea sederit, sed quod ex semine David assumpta & fabricata sit. Et certe si sedes David ipsa non est, tamen sedes tua Deus in sæculum sæculi ipsa est.* Pari modo hujus sedis præeminentiam & dignitatem paulo clarius idem *Guerricus* ob oculos ponit serm. 1. in Assumpt. explicans verba Cant. *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: Non poterat* inquiens *signantius aut elegantius describi prærogativa*

tiva gloriæ ejus, quam ut thronus Dei regnantis esse diceretur: nulli siquidem animæ tanta plenitudine aut familiaritate copiam sui divina Majestas videtur indulgere, sicut illi in qua specialiter præ cæteris residere delegerit. Discipulis quidem Dominus loquebatur qui pauperes facti pauperem sequebantur. In regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes. Alibi quoque promittit idem Agonotheta noster de cælo spectans & incitans decertantes. Qui vicerit inquit, dabo ei mecum sedere in throno meo sicut & ego vici & sedi in throno patris mei. Matri vero cuius longe differens est meritum, nihilominus differens promittit præmium. Veni inquit electa mea, & ponam in te thronum meum. Parum est inquit ut judicanti consedeas, nisi & ipsa mihi sedes fias: ut majestatem regnantis eo felicius, quo familiarius in te contineas, & specialius præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti parvulum in gremio, continebis immensum in animo. Fuisti diversoriū peregrinantis, eris palatium regnantis. Fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo, eris solium triumphantis in cælo. Fuisti thalamus sponsi incarnati, eris thronus Regis coronati.

nati. Et paulo infra. *Dicuntur quidem & sunt alij throni quidam scilicet spiritus divini, præ alijs ut putamus subjectis ordinibus Dei præsidentis majestate pleni: sed & anima cujuslibet justi dicitur sedes sapientiæ. Quæ autem nunc est sedes sapientiæ profecto tunc erit & gloriæ. Si igitur illud cœli palatium plenum sedibus & thronis sedeat q; Deus in omnibus accommodans se, & aptans cuique pro meritis: non immerito tamen creditur sine injuria vel invidia cæterarum sedium quoddam esse speciale Regis solium excelsum, & elevatum super gloriam omnium* MARIAM, *dico exaltatam super choros Angelorum, ut nihil contempletur supra se Mater nisi filium solum: nihil miretur supra se Regina, nisi Regem solum, nihil veneretur supra se mediatrix nostra, nisi mediatorem solum.*

§. 3.

ET in hanc ipsam Virginem à *Salomone* prænuntiatam convenientissime asseritur Prov. 9. *Sapientiam ædificasse sibi domum & excidisse columnas septem:* quem locum licet *Dionys. Carth.* alijque non pauci Patres de Incarnatione verbi divini, ac mysterijs ejus accipiant & interpretentur, ut intelligatur nimirum increata sapientia ædificasse

casse sibi domum, id est corpus quod formavit & assumpsit ex purissimis Virginis sacratissimæ sanguinibus, in eaque septem columnas exciderit; idest assumptam humanitatem septem donis spiritus velut totidem columnis fulcierit stabilieritque! licet inquam congruentissimè ita accipiatur locus prædictus: non tamẽ minus congruenter quoque per domum quam *sapientia* increata sibi ædificavit, virginem gloriosam intelligi, testis est in jam ante citatis verbis suis *Guerricus Abbas*: testis est & mellifluus Doctor *Bernard.* serm. suo panegyr. *Quando* ait *enim placuit gratiæ supernæ ut habitaret in nobis à quibus diu elongata fuerat: tu sola inventa es digna ut in tua virginali aula, Rex Regum & Dominus Dominantium, à Regalibus sedibus veniens primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. Vere beneplacitum fuit Deo habitare in te, quando ex ipsa illibata carnis tuæ substantia, quasi de ligni Libani architectura ineffabili domum sibi ædificavit Dei sapientia, suffulsit eam septem columnis, ac reclinatorium aureum in ea collocavit. Hi sunt septem spiritus Dei, & hæc est unica illa Salvatoris fœmina, in qua sola quæsitam in*

omnibus requiem invenit, atq; in ejus sinu omnes thesauros suos absque mensura transfudit. Et æquè disertis verbis *Dionys. Carthus.* explicans Cant. verba: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon: Hoc ferculum* inquit *ipsemet Christus secundum quod Deus fecit, corpus benignissimæ Virginis, per causas secundas formando, cujus & materiam in exordio produxit ex nihilo, animam quoq; ejus felicissimam per se immediate creando. Columnas fecit argenteas: unde Prov. 9. scribitur sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, per quæ septem dona Spiritus sancti accipiuntur, quæ fulciunt & sustentant animam eis ornatam.*

§. 4.

PORro uti docent Philosophi ex actibus colligere licet dona & habitus, qui ex ijs procedunt; sic hominem quem videmus sæpius temperanter vivere, judicamus habere habitum temperantiæ. Nec defuerunt virgini sapientissimæ actus, qui eam dono sapienti sublimissime decoratam demonstrarent, siquidem fuit doctissima, & maxime erudita in lege divi-

na.

na. Sic atteſtante & probante *Carth. in cap. 1. Cantic. ſicut* inquiens *incomparabilis atque mundiſſima virgo fuit præ cunctis in utero materno ſupernis chariſmatibus adimpleta, ita mox ut ratione uti cœpit aſſidue in eis dē præ omnibus profecit, ſicq; quo excellentiori puritate mens ejus præelecta coram altiſſimo radiavit, & quoad proficiendum in omni virtute ac ſapientia vigilantior, inſtantior, ſerioſior fuit, eo eminentius ac munificentius omni hora à ſpiritu ſancto ungebatur, illuminabatur, accendebatur & incomparabiliter crevit, & quo ſpecialius fuit ex Deo avidius Dei verba advertit, fuitq; ſtudioſa & erudita in lege. Ac ſicut teſtatur Ambr. ipſa legit in Eſaia: Ecce virgo concipiet: & antequam filium Dei conciperet, novit myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, &c.*

Amplius dilucide demonſtratur Virginem glorioſam ſapientia non ſolum creata, ſed etiam divina inſtructiſſimam fuiſſe, ex eo quod alijs quamplurimis illam communicaverit: ex innumeris alijs ſint pro exemplis *SS. Albertus Magnus, Rupertus Abbas Tuitienſis, & Hermannus Contractus.* De primo referunt vitæ ejus ſcriptores, quod cum tardioris inter cæteros con-

condiscipulos esset ingenij, nec cum eis in studijs pergere posset, ac quotidie confusioni pateret, volens propter hoc è monasterio aufugere & de facto scalas muro ad transcendendum applicasset apparuit ei ejus misertus virgo beatissima, cumque causam investigasset eum consolatus optionem quoq; dedit eligendi scientiam quam præoptasset: elegit ille philosophicam quã etiam cum Theologica mox consequutus est: pro pœna tamen quod vanam scientiam præ divina elegisset impositum, quod triennio ante mortem omnem quam habebat scientiam amitteret uti & post factum est. Non absimili modo *Præsul Tuitiensis Rupertus* suam Doctrinam, & sapientiam soli debet inter Matres Virgini. Hic enim à juventute monasterium *S. Laurentij* in Besbruck prope Trajectum ingressus, idiota cum esset Deiparentem assiduis precibus exoravit, ut à filio sapientiæ fonte, scripturarum intelligentiam sibi impetraret. Cui apparens illa: *En tibi* inquit *omnium scripturarum arcana patebunt, ita ut neminem tibi hoc tempore habeas similem, tantum ne torpescas otio & gratiã tibi datam ne negligas.*

gas. Communicavit & alia secreta dilecto suo misericordiæ Mater, quæ fassus ille est non se ausum expromere, quemadmodum edocet præfatio quam præmisit libris commentariorum in *Cant. Canticorum Salomonis.* *Hermannus* deniq; *Contractus* qualẽ quantamque habuerit scientiam, & sapientiam, & unde eam hauserit docet in hunc modũ *Menolog. Bened. P. Gabrielis Bucelini: Hermannus cognomento contractus. Infirmâ cum esset valetudine ex eaq; contractis membris, & impeditiore ingenio huic remedium ab unica sua, & ordinis Tutelari Deiparente flagitans, ardentissimis precibus matrem misericordiæ flexit, cæloq; deductam intueri meruit. Optione data, sani & integerrimi corporis, sivè membris omnibus præter linguam ac manum invalidis, ingenij tamen juxta ac sapientia, & eruditione excolti utrum mallet eligeret: posterius elegit & annuente mox virgine, ex eo tempore beneficio tam beneficæ matris tales progressus in literis fecit, ut corporis defectum mentis viribus opibusq; facile resarciret tantus in omni literarum genere & cognitione effectus, ut merito universis ætate sua eruditus superior nedum æqualis haberetur, latinam, græcam, hebraïcam*

& ara-

& arabicam perfectissime calleret, suiq; ingenij & felicitate dignissima posteritati destinaret monumenta, in cujus scriptis omnibus mirus sane & memorabilis ille Augustissimæ cœlitum Imperatricis favor proditur & declaratur. Cui ipse, ut æterno quoq; grati animi monumento amorem suum testaretur, dignissimũ sane, terrisq; non solum, sed & cælo ac cœlitibus universis jucundissimum melos celeberrimum illud Canticum SALVE REGINA *excogitavit, verbisq; ac notis musicis suavissime composuit, summo bonorum omnium plausu, & ordinis maxime nostri ornamẽto ac gratulatione. Composuit & illas celebres item decantatissimasq; toto orbe, totq; sæculis Antiphonas :* ALMA REDEMPTORIS MATER : *&* AVE REGINA COELORUM *&c. pluraq; alia in Ecclesia & olim & hodie recepta.*

Ex quibus profecto ni fallor, satis superque declaratur, & innotescit: quam vere dicta sit Bm̃a Mater *sedes sapientiæ* : Ex qua nimirum tam abunde alijs sapientiæ dona communicantur: innotescit quoque qua in æstimatione sapientiam ejusq; amatores in pretio habeat ipsa eadem sapientissima virgo. Vt non immerito de seipsa

ver-

verbis sapientis Sap.7. proloquatur: *Invocavi & venit in me spiritus sapientiæ, sceptris ac solijs illam antepoſui, præ eaq; divitias pro nihilo æſtimavi. Nec verò ei lapidē pretioſum comparavi, quoniam aurum cum ea comparatum, arena eſt exigua, & lutum exiſtimabitur argentum cum illa comparatum. Supra ſanitatem ac formæ pulchritudinem dilexi illam, atq; ea malui quam luce frui, ut cujus ſplendor non poteſt ſupprimi. Acceſſerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa: divitiæq; innumerabiles per manus illius.* Et paulò poſt *Eam ſine fraude percepi ſine invidia communico, divitiasq; ejus non abſcondo, inexhauſtus enim theſaurus eſt hominibus &c.*

CAPUT DECIMUM NONUM.

Encomium Marianum *Vigeſimum Secundum.*

CAUSA NOSTRÆ LÆTITIÆ.

INter præclariſſima laudum præconia quæ Iſraëliticus populus triumphanti *Iudith* obvians concinuit, fuere: *Tu gloria Ieruſa-*

rusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri. Magna præconia, sed tam gloriosæ victrici & victoriæ non indigna. *Lætitia Israël*, inquit causaliter loquendo eo quod fuerit maxima lætitię causa, cum populum suum àtanto castrorum Assyriorum timore liberarit, ac ita maximam lætitiæ causam ministrarit. Vnde uti Judæis per intercessionem Reginæ *Hester* à mortis sententia & jugo ereptis, ac inimico eorum *Aman* è ligno suspenso *novum gaudium & nova lux oriri visa est: Esth. 8.* ita quoq; post devictum Assyriorum principem novum gaudium & tripudium exortum est, cujus cum *Iudith* ipsa causa fuerit, non immerito *Lætitia Israël* ab eis fuit nuncupata. Quemadmodum B̃mæ Virginis in omnibus ac prȩcipuis actibus suis typum gesserit castissima *Iudith* unanimi fatentur consensu SS. Patres, hinc etiam in Officio immaculatæ Conceptionis: à clientibus & amatoribus suis salutatur: *O mulier fortis & invicta Iudith*: ita quoque de ipsa longe convenientius encomium *Iudithæ* decantatum verificari extra dubitationem est: Illa siquidem soli Judæorum populo, hęc universo generi hu-

ri humano, imo & omnibus cœli civibus causam lætitiæ ministravit: humano generi quidem ipsum ab imperio & jugo dœmonum & infernalis sempiternæque mortis eripiendo : Angelis verò cœli civibus ruinas illorum per *Luciferum* aliosq; rebelles Angelos factas restaurando, ut convenientissime ab Ecclesia *Causa nostræ lætitiæ* appellata sit.

§. I.

OLim quidem DEVS eos (ut verbis utar singularis Deiparæ clientis *B. Ioannis Damasceni*) *qui fuerunt Principes humani generis, & se impleverunt mero inobedientiæ, magnitudine transgressionis cordis clauserunt oculos, ac peccati crapula gravatos habuere mentis oculos, somnoque in mortem, fuere sopiti Adamum videlicet & Evam omnemq; cum eis posteritatem exterminavit ex paradisi amœnissimis locis, ac maledictis gravatos in hanc miseriæ vallem exturbavit, omnem eis exultationis jubilationis & lætitiæ occasionem tollens.* Terram enim in operibus Protoparentis *Adami* maledixit : *spinas* inquiens *& tribulos germinabit tibi, & cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, Gen. 3.* Imo eo

quod audijſſet & obtẽperaſſet voci uxoris ſuæ, comediſſetq; de ligno de quo præceperat ei ne comederet, non ſolum à paradiſi jucundiſſima quiete ejecit, ſed & ad perpetuos labores damnavit ac mortis imperio ſubjugavit, *In ſudore* inquiens *vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua ſumptus es: quia pulvis es & in pulverem reverteris.* Nec minoris conſtitit *Evæ* ſua inobedientia & transgreſſio, eam ſiquidem Deus non ſolum viri mancipavit obſequio ſed & partus doloribus (è quibus alias aliquid ſolatij ſperare poterat) doloribus inquam quo majores in hac mortali vita non inveniuntur ſubjecit. *In dolore* ait *paries filios tuos, & ſub viri poteſtate eris, &c.* His ergo tot tam gravibuſque malis ut occurreret benigniſſimus Deus, omnis lætitiæ fontem creavit virginem benedictam, per quam omnis execratio maledicta ſublata eſt, ita atteſtante *Andrea Cretenſe* qui eam *ſerm. 2. in Aſſumpt. cap. 8.* His affatur verbis: *Per te dilecta eſt peccati occaſio, & tranſmutata eſt in lætitiam primi parentis execratio.* Confirmat & hanc opinionem citat. *Ioann. Damaſc.* qui eam idcirco merito lætitiæ

tiæ fontem appellare non dubitavit. *Serm. in Assumpt.* ubi sepulchrum ejus quasi vivens & loquens introducit. *Lætitia fontem excepi hospitio, & dives remansi perenni ejus scaturigine, &c.* Nec absimili eam præconio celebrat *Ludovicus Blosius* eam lætitiæ summæ parentem appellans *Ave* ait *summæ lætitiæ, summæque clementiæ beatissima parens* MARIA, *per quam cælestis benedictio, & felicitas æterna ad nos dimanavit, cujus memoria exhilarat mœstos, cujus contemplatio sanctos demulcet* &c.

Quam verè autem eam lætitiæ fontem nominarint SS. PP. hinc satis liquet, quod ipsa omnibus non solum in hac terra viventibus sed & Angelis, omnibusque cæli civibus causam gaudij & exultationis subministravit: Quod ut clarum ac manifestum fiat à mundi primordijs primisque parentibus exordiamur: Ipsa equidem primorum parentum lætitiæ fuit causa utpote delens & tollens maledicta in eos congesta. Hæc enim teste Doctore mellifluo *serm. 4. in Assumpt. pariendo vitam mundi, maledictum illud (morte morieris) abstulit: Hæc est enim quæ totius mundi reparationem*

obtinuit, ſalutem omnium impetravit: ſuſtulit item maledictionem *Evæ* qua dixerat ei: *In dolore paries filios tuos,* cum ſola inter mulieres à communi maledicto & dolore parturientium invenitur aliena. Ambo igitur protoparentes *Adam & Eva conſolamini ſuper filia & tali filia. Inſtat namque tempus quo jam tollatur opprobrium. Propterea curre Eva ad* MARIAM, *curre Mater ad filiam: filia pro matre reſpondeat iſta matris opprobrium auferat ipſa patri pro matre ſatisfaciat, quia ecce ſi vir cecidit per fœminam, jam non erigitur niſi per fœminam.* Lætamini inquam & gaudete quia filiam adepti eſtis cujus adjutrice manu diabolum & inimicum ſerpentem, à quo olim ſupplantati eſtis reciproca victoria ſupplantaturi eſtis: ſalvatricem habetis per quam inferni pœnas evadatis, ac de hujus lachrymarum vallis anguſtijs ad cœleſtis patriæ gaudia paradiſiq; amœniſſima loca revertamini.

§. 2.

NEc ſolum protoparentum, ſed & Patriarcharum gaudium & lætitia fuit MARIA, ad quam tanquam unicum dolorum & afflictionum levamen ſuſpirabant, & aſpirabant continuo. *Abraham exulta-*

vit ut videret diem ejus, vidit (in spiritu nimirum) & gavisus est. Et quidni gauderet? si enim gloria & lętitia patris est filius sapiens, quanto magis gaudeat ac lætetur de tali tantaque filia hac Virgine Bm̃a *Abraham*, unaque cum eo alij ejusdem Progenitores *Isaac, Iacob, David, &c.* cum ejus se cognoscant sapientiâ, ab exilio in patriam cœlestem reducendos? Beata verè filia quæ parentis *Evæ* stultitiam ac fatuitatem sua sapientia restaurat, tristitiam in gaudium & exultationem convertit, matrisque maledictiones in benedictiones commutat. *Eua* enim teste S. *Augustin. serm. 18. de Sanctis, de Annunt. Dominica. Luxit, ista exultavit: Eva lachrymas,* MARIA *gaudium in ventre portavit.* Et causa in promptu est, quia *ista peccatorem, hæc edidit innocentem, Mater generis nostri pœnam attulit mundo, genitrix Domini nostri salutem attulit mundo.* HOCq; est quod incessabilem illorum S. Patrum lenibat dolorem, qui ob cœli fores reclusas obtinebat universos *Adæ* filios usque ad hujus Deificatissimæ virginis adventum: sedentes namque in tenebris & umbra mortis in lymbo nulla eis erat consolatio nisi in hoc,

quod recordarentur adventum hujus B. Virginis, quâ mediatrice cœli fores reserandas, seq; è tenebroso in quo detinebantur ergastulo educendos norant: atque ad hoc allusisse videtur *Seraph. Bonav. in Psalt. Psalm. 59. Tu inquiens mœstis consolationem infundis, & mœrentibus lætitiam, & dulcorem*, & S. Rex Poloniæ *Casimirus*.

O Beata per quam data,
Nova mundo gaudia;
Et aperta vide certa,
Regina sunt cœlestia.
Per te mundus lætabundus,
Novo fulget lumine:
Antiquarum tenebrarum,
Exutus caligine.

Et alio item loco:

Virgo gaude, omni laude
Digna, & præconio:
Quæ damnatis, libertatis
Facta est occasio.

Præ cæteris tamen evidentius experta est S. *Elisabeth* quam vere parens & lætitiæ fons dicta sit B̃ma hæc Virgo, cum salutationem ejus aure corporis percipiens, summo interius repleta est gaudio, propter quod

quod de ea explicat hæc *Cant.* verba, *exultabimus & lætabimur in te Tuitiensis Antistes Rupertus lib. 1. in Cant. Vere* inquit *hoc dixit Elisabeth : ait enim voce magna benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, &c. Et ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultavit infans in utero meo. Nonne hoc erat dicere, exultabimus & lætabimur in te? jam enim incipimus, ego & infans in utero meo exultare in gaudio, à voce exultationis tuæ. Ex hoc & nos & qui venturi sunt post nos exultabimus & lætabimur in te, & cantabimus dicentes: quia Eva fecit nos plorare,* MARIA *fecit nos exultare : nam*

Quod Eva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cœli fenestra facta es.

Nec tamen sine causa lætabimur, sufficiens nobis hujus lætitiæ materia: lætabimur inquam memores uberum tuorum super vinum : uberum virgineorum quibus illum lactasse prædicaris, qui creavit te: Dicimus enim beatus venter qui te portavit Christi, & beata ubera quæ suxisti: quare beata? quia tu qui Angelos tuæ visionis dulcedine pascis, ea suxisti.

§. 3.

EXperientia docente nihil est quod homini qui coram judice severissimo adversarijsque potentibus causam habet, ita potest exhilarare & lætificare, quam quod cognoscat se invictissimum habere advocatum, & protectorem, cujus eloquentia & scientia, se certo sciat damnationis sententiam evasurum. Et sicuti nihil magis lætificat hominem debilem, ægrotum, vulneribusque saucium, quam peritia & sollicitudo medici, cujus industria se curandum novit: ita & universos *Adæ* filios innumeris peccatorum vulneribus saucios, quique fortissimum, astutissimumque habent inimicum Principem & Rectorem mundi tenebrarum harum, nil magis potest ac debet exhilarare, quam quod sciant se invictissimam, prudentissimam, eloquentissimam ac potentissimam habere Dominam & Advocatam cujus ope & assistentia (modo eam omni conatu implorent) severissimam divini rigoris damnationisq; sententiam evadant, invisibilesq; & innumeros adversariorum cuneos levi negotio devincant: cujus peritia à peccatorum

torum vulneribus curentur ac priſtinæ ſoſpitati ac ſanitati reſtituantur. *Ipſa* ſiquidē teſte *Bernard. ſerm. panegyr. peccatorem quantumlibet fœtidum non horret, nec deſpicit, ſi ad eam ſuſpiraverit, ejus interventum pœnitenti corde efflagitaverit: ipſa illum à deſperationis barathropia manu retrahit, vulneribus medicamen aſpirat: fovet nec deſpicit, quouſq; horrendo judici miſerum reconciliet: famoſum hujus benignitatis teſtimonium eſt per eam reſtauratus divinæ gratiæ Theophilus, quem ad ipſas inferni portas quodammodo conſtitutum reduxit, à peccatorum vulneribus curavit: divinæque gratiæ ſua interceſſione reconciliavit.*

§. 4.

SEd & Angelorum quoq; aliorumque cœli civium gaudium eſt MARIA, quia teſte *Bloſio: Gaudium hominum pariter & Angelorum peperit IESVM Chriſtum* Et ratio id convincit: ſicut enim quilibet lętatur de magnatum amicitia & ſocietate, ſic & Angeli cæterique cœli incolæ, de hujus virginis glorioſæ ſocietate, gloria & felicitate ineffabiliter lætantur, cum poſt Deum gratioſior ſocietas eſſe non poſſit quam hujus glorioſiſſimæ & Bm̃æ puellæ : & uti Ele-

phantes in cantu & aspectu puellarum delectantur, & ad eas lambendum & osculandum quodam naturali instinctu inclinantur; ita omnes Angeli, sanctique Dei maximopere delectantur, in aspectu, & societate hujus beatissimæ puellæ: primumque illis gaudium est post visionem beatificam hanc incessantur intueri: unde *Dionys. Carthus. serm. 3. in feria 2. paschæ, omnes sancti* ait *in cælo de præsentia & aspectu gloriosissimæ virginis Matris filij Dei, mirabiliter ineffabiliterque lætantur, & tanto intensius quanto eam amant fervent ius. Primo ergo lætantur in ejus aspectu, quoniam ipsa præomni creatura in esse creato subsistente est inenarrabiliter speciosa. Secundo quia per eam consequuti sunt gratiosa dona, & beneficia gloriosa à Domino: ipsa namq; genuit mũdo Salvatorẽ: ipsa est advocata Ecclesiæ militantis, peccatorũ refugiũ, Mater & consolatrix miserorũ. Ei commissum est regnũ misericordiæ & per eam innumerabiles peccatores veniã gratiam & salutem adepti sunt, & quidquid gratiæ est in nobis, per ipsam datum est nobis. Tertio gaudent præsertim in ea de ejus excellentia & honore eo quod ipsa sit Mater veri Dei: Comparentalis Deo Patri, eundem habens*

bens cum illo filium, quod est dignitas infinita. Et paulo infra tantum dicit esse gaudium quod habent sancti ex aspectu gloriosissimæ Virginis, ut etiamsi omnia mundi gaudia in unum collata essent, eidem tamen comparari nequirent: verba ejus sunt: *Certe omnia mundi hujus gaudia, simul collecta comparari nequeunt gaudio quod unusquisque Beatorum habet de beatissimæ Virginis* MARIÆ *præsentia, & conspectu: quod etiam quibusdam electis amatoribus ejusdem Virginis sanctæ datum est in hac vita experiri: quibus ipsa virgo pijssima visibiliter apparere dignata est.* Et non multum inde *si* inquit *in regno cælorum non esset aliud gaudium aut præmium nisi videre speciosissimam, optimam dulcissimamque* MARIAM *Christiferam, merito totis visceribus, & nisu conaremur illuc pertingere.* Cujus utique Doctoris tum ob summam vitæ probitatem & sanctitatem, tum ipsiusmet rei experientiam indubia fides adhibenda est authoritati: De eo siquidem refertur quod non semel meruerit à beatissima Virgine & *S. Barbara* singulari patrona visitari, earumque colloquio & aspectu exhilarari: ob hanc etiam causam ejus effi-

gies

gies solet depingi astantibus eidem Bñæ Virgine puerulum ulnis gestante & *S. Barbara* librum è manibus ejusdem *Dionysij* acceptum ad dulcissimi pueri manus offerente.

Ex totis ergo præcordijs hujus beatissimæ Virginis pedibus provolvamur, animitus ab ea petentes, ut & nos in hac miseriarum valle constitutos lætificare, & in continuis quibus versamur afflictionibus exhilarare dignetur, eam cum *Bonavent.* inclamantes; *Miserere nostri Domina, & ora pro nobis, in sanctam lætitiam converte mœstitiam nostram*; sicque fiet ut ejus sanctissimis laudibus intenti, lætificemur hic in via temporaliter, & post modum in patria æterna æternaliter: *Annunciare namque opera, & merita ejus lætificat intellectum, & imitari opera ejus exhilarat Angelos DEI*, ait *Bonav. Psalm. 91. & 59.*

Titulum sequentem vide titulo mediate sequenti.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM.

Encomium Marianum *Vigesimum Tertium.*

VAS HONORABILE.

IN summo honore & veneratione olim apud Israëlitas fuisse Arcam DEI, tam clarum est ut probatione non egeat. Et tamen teste *Apost.* in ea nihil erat quam *virga Aaronis quæ fronduerat, tabulæ testamenti digito DEI scriptæ, & vas continens manna.* Quod si tanto honore digna fuit Arca inanimata & vas quoddam manu terrestris artificis fabricatum, utique longe majori honore dignum erit, illud vas honorabile de quo hic est sermo : illud vas cujus Arca figura, & significatio erat : illud quod *quasi vas auri solidum omni lapide pretioso ornatum* refulget : cujus licet satis videatur venerabilitas ostensa in *Tit. Virgo Veneranda:* superest tamen ut honorem illius quem in gloriosa Assumptione consequuta est, cujus jam festum celebramus paulò fusius ob mentis oculos omnium ejusdem Beatissi-

mæ

mæ Matris clientibus & amatoribus ponamus, ut tantæ Matris ſuæ gloriæ & honori ac exaltationi congaudere ac intimis viſceribus congratulari valeant.

§. I.

POſt tranſactam triennalem illam ſiccitatem, qua (ut refert *lib. 3 Reg. 3. cap. 19.*) Deus univerſam terram Iſraël ad interceſſionem *Eliæ* flagellaverat: miſertus tandem calamitatis juſſit *Elia* ut Regi *Achab* ſe oſtenderet: qui & illi ſe oſtendit montem *Carmelum* Dominum pro pluvia rogaturus aſcendit: puerumque ſuum ut verſus mare an nubes de mari aſcenderent, conſpiceret qui ſexies ad videndū egreſſus ſeptima vice cernit. *Et ecce nubecula parva aſcēdebat, de mari quaſi veſtigium hominis,* quæ in tantam mox crevit magnitudinem, ut totum cœlum obduceret, univerſamque terram aquis ſuis irrigaret. Non incongrue per hanc nubeculam Beatiſſimam Virginem intelligi, & ipſæ SS. litteræ & SS. Patrum teſtimonia nubiſq; proprietatis optime colligitur: Hæc enim eſt illa nubes levis: de qua *Iſaias ecce* ait *Dominus aſcendet ſuper nubem levem & ingredietur Ægyptum, &c.* A-

ſcen-

scendit enim *Dominus* (ut ait *D. Hieron. lib. 7. in cap. 19. Isaiæ*) *super nubem levem corpus videlicet beatissimæ* MARIÆ *quod nullo humani ponderis semine prægravatum est.* An non nubes quæ se inter terram solemque justitiæ interponit, ne ignis iræ ejus peccatores consumat? An non nubes quæ rorem gratiæ pluviamque voluntariam hæreditati Dei submini strat? hæc est nubes illa, super quam sedit Angelus testamenti de qua *Ioan. Apoc.* vidi inquiens Angelum sedentē super nubem candidam &c. Quamvis autem Beatiss. Virgo MARIA semper, attamē hodierna die suæ glorioſissimæ Assumptionis typum nubeculæ illius è mari ad modum vestigij hominis ascendentis gessit, dum de mari hoc magno & spatioso ad superna evecta est sydera supra omnes Angelorum Choros exaltanda, nec finem suæ celsitudinis habitura, nisi eidem jungeretur in throno: cujus mater merebatur esse in solo. De hac igitur glorioſissima festivitate nunc differendum est. *Tempus siquidem loquendi est omni carni, cum assumitur incarnati verbi Mater in cœlum nec cessare debet à laudibus humana mortalitas, cum hominis so-*

la na-

la natura ſupra immortales ſpiritus exaltatur in virgine : Si enim Deum in ſanctis ſuis laudare debemus, ut inquit. *S. Hieron. ſerm. in Aſſumption. multo magis in hac ſolemnitate dignis Deo debemus jubilare præconiis: nulli enim dubium quin totum ad gloriam laudis ejus pertineat: quidquid digne genitrici ſuæ impenſum fuerit* : ſed quid nos tantilli in laudibus tantæ virginis referemus, cum etſi omnium noſtrum membra verterentur in linguas, eam laudare ſufficeret nullus. *Altior cælo eſt de qua loquimur, abyſſo profundior cui laudes dicere conamur. Quis enim cogitare ſufficiat quam glorioſa hodie mundi Regina proceſſerit, & quanto devotionis affectu tota in ejus occurſum cæleſtionum legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta?* quamvis ergo *de ejus gloria nil dignum ſterilis cogitatio concipere, aut inerudita poſſit locutio parturire : nec tamen ſilere devotio patitur. Hæc eſt enim dies illa quæ cælorum officinas* (ut inquit *Petrus Dam. ſerm. de Aſſumpt. cap. 2.*) *ſublimiori gaudio cumulavit, annua mundo, angelis continua, continuans homines Angelis & Angelos hominibus felici fœderatione conjungens : in hac namq; completa*

ſunt

sunt prophetarum oracula, omnis q; scriptura de ea perfecta est: Si enim (uti vult *Bernar. serm. 2. sup. Salve Regina*) *propter hanc omnis scriptura facta est.* Item *si ipsa sit finis testamentorum quæ nobis fecit Deus, declaratio occultorum & profundorum divinæ incomprehensibilitatis, & summa divinorum oraculorum,* uti eam appellat *B. Andreas Cretensis:* necesse fuit eadem oracula hodie consummata & completa esse; quemadmodum in morte filij ejus unigeniti, omnia quæ de eo scripta, consummata sunt ipsomet attestante de cruce *consummatum est.*

§. 2.

HOdie ergo ait *S. Damasc. Æden novi Adam paradisum suscipit animatum, in quo soluta est nostra condemnatio, in quo plantatum est lignum vitæ, in quo operta est nostra nuditas, in quo veteris Adami soluta est maledictio, & originalis justitia restituta. Hodie sacra & animata Arca Dei viventis, quæ suum in utero gestavit artificem requiescit in templo Domini, quod nullis est excisum manibus,* & aquæ cœlestis gratiæ veram & divinam Arcam elevaverunt in sublime à terra, eamq; in montibus cœlestis *Armeniæ* sine fine

manſuram collocarunt. *Hodie ſacratiſſima columba pura & innocens anima, & divino conſecrata ſpiritui, ex Arca evolans, corpore inquam quod vitæ dedit principium invenit requiem ſuis pedibus & pacem terris redditam nuncians, cum omnium exultatione à cœleſti Noë filio nimirum in Arcam cœleſtis gloriæ introducitur.*

Hodie Rubus ardens incombuſtus per rubum Moſaycum præfiguratus, ardens inquam, in quo apparuit ille de quo *Proph. Deus noſter ignis conſumens eſt*: incombuſtus perſeverans quia maternitatem cũ virginitatis honore conjungens, in montem cœleſtis *Horeb* evehitur, igniq; divino intime incorporanda ſublevatur.

Hodie B. Virgo MARIA, vera Prophetiſſa, tranſvadato vaſtiſſimo mari hujus ſæculi, in cœleſtem promiſſionis terram lætabunda ingreditur: ac ad præſentiam ſonitumque tympani ejus, omnes virginales chori excitati cantant Domino, ac quod per mare ſæculi hujus ſine ſæcularibus fluctibus tranſierunt illæſi, ineffabili gaudio gratulantur.

Hodie *Aaronica* & ſacerdotalis virga dera-

de radice *Ieſſe* egreſſa, ſuper quam requievit Spiritus Domini: *quæ* juxta *S. Bernard. non ſeminata ab aliquo, non defoſſa ſarculo, non impinguata fimo, ſed ſine omni humano adminiculo*: produxit germinavitque florem rubicundum candidum, & ex millibus electum: florem campi in quem deſiderant Angeli proſpicere, Chriſtum ſcilicet: in cœleſti tabernaculo collocatur.

Hodie Mater veri *Salomonis* Regis pacifici ad filium ſuum pro *Adonia* typum humani generis gerente deprecatura ingreditur, eidemque in occurſum filius ſuus hiſce eam alloquens verbis, *Pete mater mea neque enim fas eſt ut avertam faciem tuam* obviam procedit. Hodie cœli terræq; Reginæ & Imperatrici ab æterno electæ, juxta filium ſuum cœli terræque Dominum glorioſus thronus erigitur: nec ſolum quin & ipſe in ea ponit thronum ſuum: *Veni* inquiens *electa mea & ponam in te thronum meum, parum eſt ut judicanti conſedeas niſi & ipſa mihi ſedes fias, ut majeſtatem regnantis eò feliciùs quò familiarius in te contineas, & ſpecialius præ cæteris incomprehenſibilem comprehendas; continuiſti parvulum in gremio, continebis im-*

mensum, in animo, fuisti diversorium peregrinantis, eris palatium regnantis, fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo, eris solium triumphantis in cœlo: fuisti thalamus sponsi incarnati, eris thronus Regis coronati.

Hodie sacratissima sponsa Spiritus sancti ad nuptias æternas sponsi sui, & in cellaria divina introducitur, totaque in occursum ejus Angelorum sanctorumque omnium caterva egreditur, & admirabundi de tanta ejus gloria his de ea *S. Epithalamij* verbis suscitantur: *quæ est ista quæ ascendit per desertum quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris? quæ est ista* inquiunt *quæ ascendit? Ac si aperte* ait *S. Bern. dicant, non est cum illa sicut heri & nudiustertius, non jam amplius circuit civitatem, non discurrit, per viros & plateas, non errabunda vagatur, sed directè ascendit.* Digna plane exclamatio, digna admiratio. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, vere mirabilis, & illi multũ dissimilis quæ descendit per Paradisum, cecidit de Paradiso, non quasi virgula fumi gracilis per humilitatem, sed nimis grossa & rigida per mentis tumorem: quasi virgula* inquiunt *fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris*

pulveris pigmentarij. Vniversus enim pulvis pigmentarius in virgine conjectus fuit, quia in ea virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit, nec integræ in ea fuerunt species, sed in subtilissimum comminutæ igne divini amoris ejus totaliter incendente & inflammante.

§. 3.

Hodie glorioſa & *vivens civitas Domini* juxta *D. Damasc. Dei exercituum sublime attollitur, & Reges ex templo Domini glorioſæ & illustris, Syon ad supernam Ierusalem quæ est libera & mater sua, munus offerunt pretiosissimum, qui sunt constituti principes ab universa terra Apostoli inquam Dei matrem semper Virginem.*

Hodie *victoriosissima Iudith cujus Spiritus in Deo salutari suo exultavit*: debellatis tenebrarum harum, & mundi principibus, ad cœleſtem *Ieroſolymam*, cum palma victoriæ gaudens ingreditur, omneſque cœlites eidem congratulantes occurrunt *David exultat ejus parens, & cum eo choros ducũt Angeli, celebrant Archangeli, virtutes glorificant, Principatus exultant: poteſtates collætantur, gaudent Dominationes, throni diem feſtum agunt,*

agunt, laudant Cherubim & prædicant Seraphim, gratulabunda voce canentes: *Tu gloria Ierusalem, Tu lætitia Israël, Tu honorificentia populi nostri.*

Hodie ad *formosissimam Hester* sceptrum clementiæ, à Rege cœlorum, & Domino Dominantium extenditur; eidemque æternum misericordiæ regnum committitur. Hodie immaculata Virgo quæ nullis terrenis est inquinata affectionibus, cujus decorem ab æterno concupierat unigenitus Dei filius, eidemque coæqualis, cujus amore vulneratus fuit: ab eodem in palatium cœleste evehitur, vestitu deaurato circũdatur, & diademate Regni perpetuo duraturi coronatur: *Adamavit* siquidem *eam Rex super omnes mulieres.* Nec mirum Regali etenim ex progenie hæc Virgo electa erat, generositatis quidem Regiæ nobilis proles, sed virtutis Regiæ nobilior indoles, ut æterno Regi filio Regis materna quoque nobilitas regium honorem defenderet: quæ ergo venientem à regali sede patris regali throno in aula virginali Regina Materque susceperat ac verum *Salomonem* diademate suæ carnis ornaverat, ab eodem

eodem hodie æterno diademate gloriæ omnibus creaturis prælata redimitur.

Hodie B. Virgo MARIA optimam partem elegit, imo quam dudum elegerat, hodie perpetuo possidendam accepit; ut scilicet inseparabiliter adhæreat Domino, perenniterq; fruatur Dei verbo. Nec alienum aut incongruum, si quod de illa *Mariæ Magdalena* dictum est in istam transumatur cum ad convenientiam transformationis similitudo non solum nominis, sed etiam operis suffragetur. Illa siquidem Dominū hospitio suscepit, tecti, hæc thalamo suscepit uteri. *Et qui creavit me requievit in tabernaculo meo* inquit: *illa sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*: hæc sedula circa humanitatem Christi ejus, *omnia verba conservabat*, quæ de illo erant *conferens in corde suo*. Illa Christo secundum humanitatem assidere merebatur, hæc illum non solum secundum humaniratem, sed & divinitatem centemplari, & plus omnibus cognoscere meruit.

Hodie denique ut cum *Hieronymi* verbis *S. script.* figuris finem imponam B. Virgo MARIA æternæ vitæ gaudia alternanti-

bus hymnidicis Angelorum choris, & intra æternæ viriditatis pascua, ubi una societas omnium civium supernorũ, ubi dulcis solemnitas Angelorum, ubi post labores & ærumnas felix & suavis refectio animarum sanctarum feliciter introivit. *Hodie gloriosa semper Virgo* MARIA *cælos ascendit, gaudete quia ineffabiliter sublimata cum Christo regnat in æternum.* Hodie Regina mundi de terris, & de sæculo nequam eripitur: iterum dico gaudete, quia secura de sua ineffabili, & immarcessibili gloria ad cœli jam pervenit palatia. Exultate, gaudete & lætetur omnis orbis quia hodie nobis omnibus ejus intervenientibus meritis salus aucta est: Lætamini & laudate: quia si Deum ore prophetico in sanctis suis laudare jubemur, multo magis in hac eum celebritate B. Virginis matris ej⁹, oportet cum hymnis & canticis spiritualibus extollere, dignis Deo jubilare præconijs & mysticis honorare muneribus. Hæc est enim illa dies in qua usque ad throni celsitudinem intemerata mater, & virgo processit, atque in regni solio sublimata post Christum glorioſa resedit.

§. 4.

§. 4.

QUantus apparatus ad excipiendum hujus mundi Monarcham, Imperatorem, Regem aut Principem fieri soleat quotidianâ discimus experientiâ: omnia quæ oculos ejus offendere possunt amoventur: muri tapetibus viridantibusque ramis exornantur, plateæ floribus herbisq; odoriferis sternuntur, nec solum: quin & principaliores è nobilitate deputantur, qui adventanti obviam procedant, eumque omni decore & reverentia ad oppidum aut locum constitutum introducant. Quamvis hæc omnia in cœlesti patria & Hierosolyma ad quam hodierna die introducta est Augustissima cœlorum imperatrix locum habere non potuerint, cum ibidem nihil sit quod cujusquam oculos offendere possit: si tamen (humano more loqui liceat) ibidem singularis quidam apparatus hodierna die factus, *thronusq;* præstantissimus *positus est matri Regis*, ut filio regnanti consedeat, & regni regnantisque in æternum particeps fiat, sed & præstantissimi spiritus Angelici deputati sunt à sanctissima Trinitate, qui beatissimæ huic Dominæ omni

reverentia occurrerent, eamque in cœleſtem Hieruſalem introducerent : nec ſolum quin & filius Dei ipſe per ſe totus feſtivus ei occurrit, & cum gaudio eam in throno ſecum collocavit. Et certe ſic decebat: non enim minori gloria dignam Deus judicavit matrem ſuam, alijs ſanctis de quibus ipſe teſtatur *Divus Hieron. ſæpe nimirum ad funera & ad ſepulturas quorumlibet aliorum ſanctorum, Angelos adveniſſe, & ad exequias eorum obſequia præſtitiſſe, nec non & animas electorum uſque ad cœlos cum hymnis & laudibus detuliſſe, ubi & utriuſque ſexus chori commemorantur auditi frequenter laudes cecinisſe, & quod perſpicacius eſt multo nonnumquam lumine reſplenduiſſe, inſuper & adhuc viventes in carne ibidem miri odoris fragrantiam diutius perſenſiſſe. Quod ſi ad recreandam ſpem & corroborandam fidem aſſiſtentium Salvator noſter, ob merita ſuorum amplius corroboranda, talia & tanta dignatus eſt exhibere per ſuos cœli miniſtros circa defũctos: quanto magis credendum eſt hodierna die militiam cœlorum, cum ſuis agminibus feſtive obviam veniſſe genitrici Dei, eamq; ingenti lumine circumfulſiſſe, & uſque ad thronum olim ſibi eti-*

bi etiam ante mundi constitutionem præparatum cum laudibus & canticis spiritualibus perduxisse? Item: *quod si* ut ait *Bernard. oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se: & quod omnibus certum est diligenti præ omnibus, quis loquatur?* Nullus certe magis dilexit quam ipsa infantem uteri sui, talis mater talem filium. Huc accedit quod præceptum à se latum: *Honora patrem & matrem tuam*: filium quodammodo obligaret *nisi forte (quod absit) non creditur filius Dei, honorare matrem, aut dubitare, quis potest omnino in affectum charitatis transisse* MARIÆ *viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas novem mensibus corporaliter requievit: quem ergo castellum hujus mundi intrantem prius ipsa susceperat, ab eo suscipitur, ipsa hodie in sanctam ingrediens civitatem: sed cum quanto putas honore? cum quanta exultatione? cum quanta gloria? Nec in terris dignior est locus uteri virginalis templo, in quo filium* DEI MARIA *suscepit, nec in cœlis regali solio in quo* MARIAM *hodie* MARIÆ *filius sublimavit.*

§. 5.

§. 5.

PErmagnifica ac triumphalis extitit processio, dum unigenitus Dei filius devicta morte debellatoque inferno stipatus innumerabilium sanctorum caterva, quos eousque infernus clausos vinctosque detinuerat, cœlorum secreta penetravit: siquidem è cœlis obviam illi egressa est omnis illa beatorum spirituum gloriosa societas, quando naturæ superiori prætulit inferiorem & inconvertibili sacramento susceptum hominem in ipsa divinitatis clausit identitate. Occurrentibus autem Angelis electorum animas quas secum educebat adjunxit, & sic utrorumque triumphali pompâ deductus, ad patrem, sedet ad dexteram majestatis. Attamen salva tanti filij majestate ex mente *S. Petri Dam.* non mediocriter dignior, excellentior ac magnificentior fuisse reperitur Assumptio gloriosa Augustissimæ cœli terræque Imperatricis: soli quippe Angeli Redemptori cœlos ascendenti occurrere potuerunt: Matri vero cœlorum palatia penetranti, filius ipse cum tota curia tam Angelorum, quam justorum solemniter occurrens eve-

xit

xit ad beatæ consistorium sessionis, & ait *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Consentit *Damiano D. Hieron.* qui non sine fundamento existmat eam ob causam filium Dei prius ascendisse cœlos ut matri thronum dignumque præpararet locum: *Ascendit* inquit *Dei filius nimirum eandem gloriam resumpturus, licet non amiserit quam prius habuerat antequam mundus fieret. Ascendit & præparavit huic sanctissimæ & gloriosissimæ Virgini locum immortalitatis ut cum eo regnare possit in perpetuum.* Et certe infinite glorioſa debuit fuisse hæc Assumptio, cum inenarrabilis imo & cogitatione incomprehensibilis juxta mentem *S. Bernardi* inveniatur, *Generationem &* MARIAE *Assumptionem quis* inquit *enarrabit?* Ac si manifeste dicat: Quemadmodum impossibile est generationem Christi secundum divinitatem lingua humana enarrare, ita & gloriam Assumptionis} hujus Beatissimæ Virginis lingua humana explanare prorsus est impossibile: nec mirum cum nequidem cogitatione valeat comprehendi: *Quis enim cogitare sufficiat quã glorioſa hodie mundi Regina processerit? & quanto devotionis affectu*

fectu tota in occurſum cæleſtium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ ſit deducta canticis, quam placido vultu, quam ſerenâ facie, quam divinis amplexibus ſuſcepta à filio & ſuper omnem exaltata creaturam.

Jam præinductum *Petri Dam.* conceptum ſua authoritate confirmat quoque *S. Anſelmus*: qui cauſam inquirit (*lib. de excellent. Virginis, cap. 7.*) cur Chriſtus Dominus cœli aſcendens palatia reliquerit ſuam dulciſſimam Matrem in hoc miſero calamitoſo ſæculo, ac lachrymarum valle: cum æque facile eam ſecum ducere potuiſſet, & corona gloriæ æternum fruitura donare unde ſuper hoc facto attonitus convertens ſe ad Salvatorē eique dicens: *ſed ô bone IESV iſtius tuæ dulciſſimæ matris fili: quomodo potuiſti pati ut te in regnum tuæ gloriæ remeante, illam quaſi orbatam in miſerijs mundi relinqueres, & non eam ſtatim tecum regnaturam aſſumeres?* cauſamq; mox ſubjungens: *Fortaſſis* inquit *Domine ne tuæ cæleſti curiæ veniret in dubium, cui potius occurreret, tibi videlicet Domino ſuo tunc regnum ſuum in aſſumpta carne petenti, an ipſi Dominæ ſuæ ipſum regnum jam ſuum materno jure effectum aſcendenti.*

Nam

Nam ut in partes suo occursu divideretur quatenus pars tibi & pars illi in primo adventu obsequeretur non deceret æstimo , præsertim cum tota sit tua, totaq; per te eadem cœlestis curia sua. Prudentiori ergo & digniori usus consilio præcedere illam volebas quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo præparares, ac sic comitatus tota curia tua festivus ei occurreres eamq; sublimius, sicut decebat tuam matrem ad te ipsum exaltares.

§. 6.

SEd & idem D. *Anselmus* hujus ejusdem glorioſissimæ Assumptionis excellentiam ad vivum delineans, *cap. seq. lib. cit.* prosequitur. *Verum cum ipse in regnum suum eam assumere & ei magnificentiam regni sui gloriæ decrevisset ostendere: cujus precor dignitatis & honoris apparatibus intendebat tota curia Angelorum? quibusve vocibus exultationis & salutis resonabat numerosa tabernacula antiquorum Patrum, ipsi curiæ tunc associatorum? Certe crediderim omnes illius beatæ patriæ cives festiviori solito ac sublimiori nitore decoris. Ad adventum Matris Domini sui præparari, ac nova quadam & ineffabili jucunditatis gratia pro tantæ rei expectatione conjubilare.*

lare. Et quid mirum? Ipse Deus & Dominus omnium IESVS filius ejus benedictus huius castissimæ Virginis & Dominæ rerū ipse ei sicut suæ unicæ matri totus festivus occurrere volebat, & aliquis de familia sua se tanti gaudij immensitate subtraheret? utiq; inter homines moris scitur esse unumquemq; bonum servum cujusvis præpotentis Domini eo majori gaudio in amici Domini sui adventu exultare, quo ipsum Dominum suum cognoverit adventantem amicum magis amare. Cum verò de adventu parentum Domini sui agitur: de quorum speciali dilectione nullus alia dubitatione tenetur, ille nimirum magis felicem se æstimat, qui majori jubilo, & festiviori occursu lætitiæ frænare laxat: si ergo hæc ita se habent apud homines, quibus, si quæ bonitas inest, longe tamen superiorum bonitati impar est contempletur animo, qui potest, quo gaudio, qua festivitate, quibus concentibus jubilabant omnes beatorum spirituum ordines, quando & unicam Domini sui matrem adventare, & ipse Dominum suum ei videbant omni sua gloria decoratum ei velle occurrere. Stipatus itaq; mille millibus, imo innumerabilibus Angelorum agminibus Deus, ipse huic pijssimæ matri suæ de hoc mundo migranti occur-

occurrit, eamq; super omnes cælos exaltatam, cunctæ secum creaturæ perenni jure dominaturam in throno gloriæ collocavit. Dies enim illa non solum te Domina ineffabiliter sublimavit, sed cælum ipsum quod penetrasti, nec non cuncta quæ in eo sunt nova & ineffabili gloria decoravit. Nova quidem cælum gloria decoravit quia priorem gloriam ejus ex præsentia tua ultra quam dici possit aut cogitari magnificavit. Nam cum tu Domina illuc ascendis, nova illud & præcellenti virtutum tuarum dignitate irradias, immensaq; miserationum tuarum & gratiarum luce perlustras. Hæc ad verbum *Anselmus.*

Ostendit eandem Assumptionis excellentiam à typo *Bethsabeæ & Salomonis* filij ejus: *S. Bernard. sen. serm. 11. art. 2. & 3. Contemplare* inquiens *mirificam obviationem, quia surrexit Salomon in occursum matris suæ: mirificam venerationem quia adoravit eam: Altissimam sublimationem: quia positus est thronus matri Regis: Immediatissimam conjunctionem: quia sedit ad dexteram ejus. Surrexit igitur glorioſus IESVS in occursum suæ dilectissimæ matris, & sicut benedictus IESVS sedet à dextris Patris, id est in potentioribus*

bonis paternis, sic Virgo gloriosa in potentioribus bonis filij sui IESV juxta illum in throno sublimata consedit.

§. 7.

EX quibus facile colliges causam, ob quam Spiritus S. in Epithalamio eadem procedat verborum forma in explanatione glorioſiſſimæ Aſcenſionis Chriſti, & Aſſumptionis Bm̃æ Virginis Matris ejus, procul dubio, quia non minus hanc quam illam glorioſam exiſtimavit. Chriſti enim Aſcenſionem delineans, tertio bis per os *Pſalm. Regij* inquirit: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* & item per os *Iſaiæ: Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra?* Eodem modo glorioſiſſimam ſponſæ ſuæ Aſſumptionem delineaturus: tertio de ea Epithalamij ſciſcitatur verbis: *Quæ eſt iſta* inquiens *quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris & universi pulveris pigmentarij? Et bene quaſi virgula fumi quia gracilis & delicata, quia divinis extenuata diſciplinis & concremata intus in holocauſtum incendio pij amoris & deſiderio charitatis. Vt virgula* inquit *fumi ex aromatibus nimirum, quia multis repleta erat*

virtu-

virtutum odoribus manans ex ea suavissimus fragrabat odor, etiam spiritibus angelicis. Per desertum inquit: *desertum vere aridum & sterile sæculum hoc nimirum: vel certe desertum est virginalis caro ejus castitatis exhausta & desiccata virtute, quæ nullam delectationis immundæ nebulam exhalet, nec ignem extinguat sed nutriat quem Domini flatus succendit. Quæ est ista* (inquit secundo) *quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Quasi aurora consurgens* ait: Bona comparatio! quia quemadmodum aurora prodeunte nova terræ lætitia novumque exoritur gaudium: cum maxime sit jucundum auroram prodeuntem intueri: ita hodierna die, dum vera & mystica illa aurora Beatissima Virgo in terra promissionis cœlestique patria prodijt, novum gaudium exortum est, siquidem maxime fuit delectabile toti illi cœlesti curiæ auroram hanc intueri, è cujus visceribus sol justitiæ prodijt; tanta etenim hujus auroræ extat pulchritudo, ut asserente *Damiano*, ipsam naturam Angelicam ad sui intuitionem sollicitet. *Tota enim Angelorum frequentia* in-

quit Doctor citat. *conglomeratur ut videat Reginam sedentem à dextris Domini virtutum, in vestitu deaurato, in corpore semper immaculato, circumdatam varietate, & virtutum multiplicitate distinctam.* Pro majori ergo pulchritudinis hujus Virginis delineatione quasi gradatim ascendens subsequitur dicens: *pulchra ut luna, quid luna pulchrius cum stellis coruscantibus in signifero limite reliquorum syderum splendorem excedit? Considera quam stellaris & serena vibratio, quam luminosus fulgor circularem orbem tanti syderis circumfundat, ut aliorum luminum claritatem non mediocriter obfuscet: sic & Virgo gloriosa die hodierna inter animas sanctorum & Angelorum Choros supereminens, & evecta merita singulorum & omnium titulos antecessit, quantumlibet aliæ stellæ reluceant luna tamen & magnitudine præeminet & splendore: sic utramq; naturam virgo singularis exuperat, & immensitate gratiæ & fulgore virtutum:* Nec tamen in lunæ pulchritudine sistit; sed ad majora proparans soli etiam eam comparat: *Electa* inquit *ut sol: quando enim de hoc mundo atq; æthereum thalamum translata est sacratissima hæc Virgo ex tunc elec-*

ta ut

cta ut sol, electa inquam nobis quia sicut ex ea natum Dei filium solem verum, sic solem æternum adoramus & colimus ut Deum verum, sic & te honoramus atque veneramur, ut veri Dei genitricem. Et quidem ipsa non est idem quod ille sol, sed nihilominus tanta est, ut eam honoret ipse sol honore quo decet filios honorare parentes : Sequitur *Terribilis ut castrorum acies ordinata, terribilis dæmonibus ordinata virtutibus, singularis timor malignorum spirituum, specialis amor civium beatorum. Quæ est ista* (inquit Spiritus Domini per ora Angelorum Assumptionem hujus Bmæ Virginis admirantium pro tertia vice) *quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super desertum suum ? ac si aperte dicant* (ut notat *Doctor Mellifluus serm. 4. in Assumpt.*) *quanta est hæc ? & unde ascendenti ei utiq; de deserto affluentia tanta deliciarum? Nec enim pares inveniuntur deliciæ vel in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ voluptatis gloriâ potamur. Quæ est ista quæ de sub sole, ubi nihil est nisi labor, & dolor & afflictio spiritus, ascendit delicijs spiritualibus affluens? Hæc est Regina illa quam videntes filiæ Sion beatissimam prædicaverunt & Regi-*

næ laudaverunt. Delicijs inquit *affluens verè affluens quia multæ filiæ congregaverunt divitias, hæc supergressa est universas. Deliciarum ejus non est numerus, quia dum Spiritum sanctum suscipit, concipit Dei filium, Regem gloriæ generat, penetrat cœlos, cumulata divitijs, & delicijs affluens ad regnũ evolat sempiternum.*

§. 8.

GAudeamus igitur omnes in Domino neq; enim fas est ullibi esse signa tristitiæ, dum Mater unigeniti filij Dei evehitur ad sempiterna gaudia vitæ. *Iubilemus in Arca Domini toto animo & muri cadent Ierichundini, contrariarum inquam potestatum infestæ munitiones. Cum David exultemus spiritu: Arca enim Domini hodie requievit, clamemus cum Gabriele qui primum locum obtinet inter Angelos: Ave gaudij pelagus inexhaustum, ave unicum molestiarum levamen, ave omnium cordis dolorum medicamentum. Omnis creatura hujus sacratissimæ solemnitatis (quam D. Hieron. omnium sanctorum festivitatibus præferendam asserit, sicut & ipsa sacratissima Virgo, incomparabilis est cæteris virginibus) particeps esse dignoscitur. Et* quidem *Virgo gloriosa cœlos ascendens, supernorum*

gaudia

gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis; ipsa est enim cujus salutationis vox teste Bernardo & ipsos exultare facit, quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si parvuli necdum nati anima liquefacta est, cum MARIA *locuta est quid putamus quænam illa fuerit cœlestium exultatio, cum & vocem audire & videre faciem & beata ejus præsentia frui meruerunt? Merito proinde in excelsis resonat gratiarum actio & vox laudis: glorioſe enim hodie processit gloriosa Virgo, cujus lampas ardentissima, ipsis quoq; Angelis miraculo fuit, clariùs enim cæteris rutilabat, quam replevit oleo gratiæ, præparticipibus suis Christus IESVS filius ejus Dominus noster: nec solum cœli civibus quin & nobis quæ non in hac ejus Assumptione solemnitatis occasio? quæ causa lætitiæ? quæ materia gaudiorum?* MARIÆ *præsentia totus illustratur orbis, adeo ut & ipsa jam cœlestis patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore. Vna cunctis lætitiæ occasio una omnibus exultationis ratio. Quod si virgo es, gaude quia meruisti esse & tu quod laudas, tantum cura, ut sis quæ digne laudare possis. Quod si continens & casta es, venerare & lauda, quia non aliunde constat ut possis esse casta,*

nisi de gratia Christi, quæ fuit plenissime in MARIA *quam laudas.* Exultet& laudet peccator quia refugium adeptus est, cujús ope peccatorum suorum veniam consequatur ad cujus sinum confugiens perire non poterit: Mediatricem adeptus est, cujus intercessione cœlum terræ jungitur, id est Deus hominibus reconciliatur. Et quamvis non sit speciosa laus in ore peccatoris, noli tamen cessare à laude, quia inde tibi promittitur venia si laudas. Alioquin nisi juxta modulum ingenij nostri Deum laudare in sanctis suis studeamus, quomodo eum secundum quod canimus juxta multitudinem magnitudinis ejus laudare poterimus.

§. 9.

Sed forte plangendum nobis quam gaudendum magis esse videtur. Quantum enim de ejus præsentia cœlum exultat, numquid non consequens est ut tantum lugeat hic noster inferior mundus ejus absentiam? Quis enim filius non summe doleat dilectissimæ Matris suę ex hac vita discessum? sed absit ut in tanta tantæ Matris exaltatione ullus tristitiæ occasionem capiat: *Cesset* inquit *Doct. Mellist. serm.*

ſerm. 1. in Aſſumpt. querela noſtra quia nec nobis hic eſt manens civitas, ſed eam inquirimus ad quam hodie MARIA *benedicta pervenit. In quam ſi conſcripti cives ſumus, dignum profecto eſt etiam in exilio etiam ſuper flumina Babylonis ejus nos recordari, ejus communicare gaudijs ejus participare lætitiam, maximeque eam quæ tam copioſo impetu lætificat hodie civitatem Dei, ut ſentiamus & ipſi ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Et amplius nos conſolari volens de ſublatione tam ſuaviſſimæ Dominæ à nobis. *Præceſſit* inquit *nos Regina noſtra, præceſſit & tam glorioſe ſuſcepta eſt, ut fiducialiter ſequantur Dominam ſervuli clamantes: Trahe me poſt te, in odore unguentorum tuorum curremus. Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam judicis Mater & Mater miſericordiæ ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit. Pretioſum hodie munus terra noſtra direxit in cœlum, ut dando & accipiendo felici amicitiarum fœdere copulentur humana divinis, terrena cœleſtibus, ima ſummis. Illo enim aſcendit fructus terræ ſublimis, unde data optima & dona perfecta deſcendunt.*

Quod ſi attendamus gloriam & gaudium

dium quæ in terreni alicujus Regis coronatione conſpiciuntur, cognoſcemus utiq; non minora in coronatione Reginæ cœlorum fuiſſe. In ea inanimatæ etiam creaturæ exultare quodammodo cernuntur, captivi ac mortis rei libertati redduntur; Miſeri & egeni largis eleëmoſynis exhilarantur, & omnes cujuſcumque ſtatus regijs muneribus & donis honorantur. Sic *aſcendens in altum Virgo beata* inquit *Doct. Melliſluus, dabit ipſa quoq; dona hominibus. Quidni daret? ſiquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas. Regina cœlorũ eſt, miſericors eſt, deniq; Mater eſt unigeniti filij Dei.* Et paulo poſt: *ut tamen interim ſileam* inquit *beneficia quæ pro illius glorificatione conſequimur ſi eam diligimus, gaudebimus utiq; quia vadit ad filium: plane inquam congratulabimur ei: niſi quod forte abſit inventrici gratiæ omnimodis inveniamur ingrati.* Quod ſi quæras quæ dona & beneficia nobis per ejus Aſſumptiónem, coronationem & ſuper omnes creaturas exaltationem ſint collata: Reſpondet *S. Anſelmus, lib. de excell. Virg. cap. 8. Terram etiam* (ait ad Beatiſſimam Matrem) *dies exaltationis tuæ ô Beatiſſima fœmi-*

fœminarum mira gratia irrigavit, quia dum te quam de se, & in se aliorum hominum lege progenitam cognovit, usque ad Creatoris omnium thronum exaltatam cognoscit, ac antiquam maledictionis pœnam quam in peccato primorum suorum filiorum merito excepisse sciebat, jam per tantæ benedictionis tuæ abundantiam, sese evadere indubitanter credebat. Quid amplius dicere possum Domina? Immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ & felicitatis tuæ considerare cupienti, sensus deficit, lingua fatiscit. Quemadmodum enim omnia quæ in cœlo sunt per glorificationem tuam inæstimabiliter decorantur, ita per eandem glorificationem cunctæ quæ in terra subsistunt, ineffabiliter sublimantur.

Igitur ad hanc glorioſiſſimam Virginem hodie corona immortalitatis redimitam ac cœli terræque Reginam & Imperatricem conſtitutam, quorquot in hac miſeriarum valle agimus filiali fiducia recurramus, dabit utique & ipſa hodierna die abundantiſſime ſua dona hominibus. *Ad hunc fontem ſitibunda properet anima noſtra, ad hunc miſericordiæ cumulum tota ſollicitudine miſeria noſtra recurrat.*

Ecce

Ecce jam quibus potuimus votis ascendentem te ad filium deduximus & prosecuti sumus saltem à longe Virgo benedicta: sit pietatis tuæ ipsam quã apud Deum gratiam inveniſti notã facere mundo, reis veniam, medelam ægris, puſillis cor de robur, afflictis conſolationem, periclitantibus adjutoriũ, & liberationem ſanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoq́, die ſolemnitatis tuæ, & lætitiæ dulciſſimum MARIÆ *nomen cum laude invocantibus ſervulis, per te Regina clemens gratiæ ſuæ munera largiatur IESVS Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula Amen.*

CAPUT VIGESIMUM. PRIMUM.

Encomium Marianum *Vigeſimum Quartum et Quintum.*

VAS SPIRITUALE & INSIGNE DEVOTIONIS.

EOs qui in omnibus carnis delectamenta ſectantur, inordinatiſq; animi paſſionibus & affectibus fræna laxant, brutales

tales, carnales & sensuales appellare solemus, eò quod partem illam quę nobis cum brutis animantibus communis est, scilicet appetitum sensitivum sequantur, sic eos non immerito spirituales, Angelicos, imò divinos appellamus; qui relictis passionum inordinatarum propensionibus, eisque rationis imperio subjugatis, ipsam rationem quæ nobis cum spiritualib⁹ creaturis communis est, scilicet Angelis, imò Dei diviníque luminis & intellectus quædam participatio (juxta illud *Psalm. 3. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*) sequuntur, ac ad eam velut amussim & regulam se suaque dirigunt. Quod si ulla unquam creatura rationem velut regulam sequuta fuerit: fuit procul dubio Beatissima Domini Mater, quæ tam solerter & incessanter inordinatis affectibus, qui suboriri poterant, restitit ita sensus tam internos, quam externos gubernavit, ut verè de ea affirmari potuerit quod *mortificationem IESV semper in corpore suo circumtulerit.*

De *S. Ioanne* Salvatoris & præcursore & præcone ipse differuit, *Venit Ioannes neq; manducans neq; bibens*: Tam enim fuit sumendi

mendi cibi parcus, ut nec comediſſe nec bibiſſe cenſeri potuerit. Idem ipſum de glorioſiſſima Dei genitrice quis aſſeverare poſſit eam non ſolum non comediſſe, bibiſſe, ſed nec dormiviſſe, aut aliam naturæ commoditatem impendiſſe: tam enim fuit in admittendo cibo, potu, ſomno corporalibus commoditatibus parca: ut ſupra naturam ejus parſimoniam fuiſſe cui videatur: Ita *D. Ambroſius lib. 1. de Virg.* Quid inquit *ego exequar ciborum parſimoniam, officiorum redundantiam? alterum ultra naturam ſuperfuiſſe, alterum ipſi pene naturæ defuiſſe, illic nulla intermiſſa tempora, hic congeminatos jejunio dies? & ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas. Cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delitias miniſtraret. Dormire non prius cupiditas, quam neceſſitas fuit.* Nec aliter ſe habuit in aliarum virtutum actibus, & paſſionum eis obverſantium mortificatione. Hinc idem *D. Ambr. nam de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum.* En Angelicam ejus continentiam & caſtitatem. *Cor de humilis*, en humilitatem,

verbis

verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens, intenta operi verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem quærere, sed DEVM, nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? eos solos solita virorum cætus invisere, quos misericordia non erubesceret, non præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis. En omnes virtutum species: ut autem ejusdem Virginis in componendis ad rationis regulam actibus suis encomia compleat & perficiat, *Sic* inquit MARIA *intendebat omnibus quasi à pluribus moneretur, sic implebat omnia virtutis officia, ut non tam disceret quam doceret, & quidquid ageret disciplina esset.*

§. I.

§. I.

SAlutat ergò Beatissimam Domini Matrem Ecclesia, *Vas Spirituale*, quidni dicat *Angelicum? In carne enim præter carnem vivere* teste *B. Hieron. Angelicum est* : In carne esse & carnis oblectamenta non sequi sed fugere hominis est, in quo dominatur ratio, servit appetitus sensitivus & inferior. Talis utique fuit Virgo benedicta cujus tanta in sensitivam partem fuit Dominium & imperium , & ejusdem ad rationem subjectio , ut eam meritò novum in carne Angelum diceres: temperantia enim illius perfectissima fuit : si enim tantò perfectior censetur temperantia, quantò quis pravis concupiscentijs magis caret: utique cum Virgo beatissima non solum cibi, potusque lautitijs non inhiaret, sed singulari prærogativa ab omni ejusmodi cupiditate immunis esset : temperantia illius debuit fuisse perfectissima: unde & *S. Chrysost.* beatissimam Virginem ob ejus excellentissimam temperantiam meruisse , ut in Matrem Dei eligeretur arbitratur : verba ejus sunt *Beatissima* MARIA *ultrà omnem humanæ naturæ modum modestiam , atque temperantiam*

rantiam excoluit, atq; ob id universorum Dominum in utero gestare meruit.

Vas ergò inquit non quidem contumeliæ sed summi honoris de quo apprimè verificentur quæ *Eccl. cap. 50.* de ea prædixit, quod sit *vas castrorum in excelsis in firmamento cœli resplendens, vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso*, de quo pius quidam ejusdem Virginis amator concinit.

Vas excelsi, opus mirabile,
Stella cœli, signum spectabile,
Per te nobis fiat possibile,
Quod rogamus & impetrabile.

Cõparatur ergò Virgo superbenedicta, Vasi Spirituali, & insigni devotionis, à *Sap. Vasi auri solido ornato, omni lapide pretioso:* vasi, ob vacuitatem & aptitudinem ad continendum: Vas enim est naturæ contentivæ, ob suam profunditatem, & concavitatem unde quidquid recipit continet & custodit, ita & Bm̃a Virgo, vere vas est divinorum charismatum dona abundantissime & felicissime continens, non immeritò ab Archangelo *Gabriele* gratia plenum assertum, nec solum, quin & ipsum omnium gratiarum, & benedictionum fontem in se conti-

nuit. Mandarat olim *Aaroni Moyses: ſume Vas vacuũ & pone ibi manna, ut cuſtodiatur in futuras retrogenerationes: Exod. 16.* Per hoc Vas non incongrue Bm̃a Mater deſignatur, utpote quæ verum illud & cœleſte Manna, cibum dulciſſimum, continentem in ſe omnem dulcedinem, & ſaporis ſuavitatẽ, refectionẽ inquam animarum ſanctarũ, *Chriſtum IESVM* qui de ſe ipſo aſſerit: *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi. Ioann. 6.* Et *caro mea vere eſt cibus*, in ſe continuit, & ex ſe generavit. Imò quod in hoc vaſe magis mireris ipſum ſimile eſt vaſi joculatoris: joculatores enim in vaſe videntur aliquando quod parvum eſt, ponere res maximæ quantitatis: id revera in Vaſe MARIANO factum eſt in quo Deus pater poſuit filium, ſuum unigenitum, cœlum & terram ſua majeſtate & immenſitate implentem: ut congruentiſſime huic vaſi accinat Eccleſia *Quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contuliſti.*

Secundo illud ipſum vas dicitur ſolidum (*Quaſi vas* inquit *ſolidum*) ptopter fortitudinem magni vigoris, vas enim ſolidum & firmum majoris eſt virtutis, majoris

apud

apud divites æstimationis, hinc vasa testea stañea lingnea & his similia à domibus divitum exulare solent: fuit equidem vas nostrum spirituale solidissimum, quod nimirum nulli adversitatum mallei confringere & dissipare, nullæ procellarum, ventorumque tempestates, ullo modo invalidare aut subruere, possent: ipsa est enim fortissima illa mulier, quam diu multumque quæsitam & in finibus terræ inventam proclamat prodigium sapientiæ, *Davidis* in folio hæres.

Nec minus ad laudem hujus sacratissimi vasis facit quod sit *ornatum omni lapide pretioso*, ut quod de pulcherrimo olim omnium Angelorũ, jam omnium dœmonum teterrimo enunciavit *Proph. Ezech. cap. 28.* merito asseveres scilicet: *Tu signaculũ similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & jaspis, Chrysolytus & Beryllus & Onyx, Saphyrus carbunculus, & smaragdus: aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es præparata sunt.*

§. 2.

DE Doctore mellifluo MARIÆ corculo referunt scriptores fide digni, eum in tantum fuisse à corporalium oblectamentorum sensu & gustu abstractum, in tantum mortificatum, ut tota die juxta fluvium equitans eundem non viderit: toto anno in cella habitans, quod fenestras haberet ignoraret, & oleum pro cervisia sumeret, diceres non hominem sed Angelum carnalia omnia supergredientem: At longe excellentior fuit admirabilis matris in sensuum exteriorum, interiorumque affectibus mortificandis diligentia: mortuam potius quam viventem aut certè dormientem crederes sensibus corporeis ligatis & quasi obstupefactis.

Contingit quandoque vino satiatos in tam vehementem incidere somnum, ut nulla arte excitari queant: Idipsum accidisse Virgini sacratissimæ videtur: videtur inquam è vino amoris sibi à cœlesti sponso propinato, tam alacriter sumpsisse, ut corporeis sensibus omnibus quasi stupefactis sol° in ea spiritus vivere crederetur. *Ego* inquit *dormio & cor meum vigilat*. Et quę causa tam

sa tam gravis, suavis tamen saporis? en causam: eam immediate ante sponsus invitarat ad sumendum amoris à se propinati poculum, *comedite* inquit *amici, bibite & inebriamini charissimi* : Ac si apertè diceret, *introduxi vos in cellam vinariam ut ordinarem in vobis charitatem*, nec est charitas ordinata, nisi cum mens vestra fuerit vehementia charitatis inebriata. Mox sponsa charissima *dormire* se refert : *Ego* inquit *dormio*, ac si dicat dilecto, tu me ad ebrietatem vocas & ego tota huic muneri vaco, *ego dormio & cor meum ad te vigilat* : Ab alijs dormio & quiesco negotijs, dormio corpore, dormio omnibus corporis sensibus, idcò cor meum liberius vigilat ad sectandam hanc ebrietatem & vinum potandum. *Ordo mirabilis* exclamat *Gillebertus*, alter sui sæculi: *Bernardus de ebrietate dormitio & de dormitione vigilia, ille dicit inebriamini, & illa dicit ego dormio, bonus sopor mentis excessus, & alienatio ab affectibus carnis & (si id etiam dicitur) à sensibus corporis, tunc magis viget, & invigilat amor spiritualis, cum consopitur penitus omnis passio & affectio animalis. Ego dormio & cor meum vigilat, dormiunt alij somnum suum*

& delectatio eorum in propria voluntate quiescit à talibus ego dormio, & vigilat cor meum tibi: ab increpatione tua Domine dormiunt alij ego ab increpulatione, ego inquit dormio & cor meum vigilat, dormio non increpata, sed increpulata à vino, ad quod vocas charissimos tibi. Crapula ebrietatis tuæ mundo me tollit, & tibi tradit, sopor at, & excitat, sæcularium oblivisci facit, & tui non sinit. Ego dormio, dormi mecum juxta illud quod in Salomone definis, si dormierint duo simul fovebũtur mutuo, sic fiet ut ex dilecti præsentia ob vehementiam amoris cor meum vigilet: cor meum vigilat cum tuus amor in eo amplius viget: dulcis somnus & dulce somnium, nescire alia, solum te scire, vacare tibi, & te videre sicut hic datur per somnium, ut sic dicam per umbram & ænigma.

§. 3.

EX quibus ni fallor excellentissima sacratissimæ hujus Virginis mortificatio & delectationum sensitivarum abdicatio luce meridiana clarius patet, patet etiam quantopere contemplationis meditationisque seu orationis mentalis amore accensa fuerit, in tantum quidem ut etiam corpore dormiens adhuc mens ad cœlestia ele-

stia elevaretur, illumq; contemplari nitebatur cujus amore incessanter æstuabat. Et tamen (inquit *Ambr. lib. 3. de virg.*) *cum quiesceret corpus vigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat aut disposita gerit aut gerenda prænunciat*: Conformiter *Ambrosio Dionys. Carth.* in præducta verba: *Ego dormio & cor meum vigilat. Hoc* inquit *præclarissima Sponsa verbi æterni sanctissima Virgo præeminenter dicere potuit, quia contemplativissimam vitam duxit, & ab exteriori tumultu omniq; inordinato strepitu, & cura superflua atq; inquietudine culpæ penitus abstinens & sopita vigilantissima mente Deo vacavit, pro Ecclesia exoravit, actibusque virtutum in termino excellentiæ perfectissimis jugiter fuit intenta. Denique in somno corporali cor ejus pervigil fuit, & ex assidua assuefactione perfecte insistendi divinis, ex ardentissima & exercitatissima charitate, ex splendidissima & exuberantissima sapientia sibi infusa, & contemplatione in vigilijs penè aut prorsus continuè, etiam tempore somni vigili corde fuit Deo conjuncta, & pro commissa sibi Ecclesia vigilare non cessat.* Et item explicans *Cant.* verba. *In lectulo meo per*

noctes quæsivi quem diligit anima mea: *Certum est* inquit *quod ipsa divinissima & spiritualissima Virgo, in lectulo suo non solum spirituali, videlicet tranquilissimi sui pectoris pace: sed etiam corporali dilectum suum præ cæteris cunctis ineffabiliter ardentius, frequentius, stabilius, fructuosiusque quæsierit, intensissime deprecando, præcordialius desiderando, sublimius contemplando, copiosius obtinendo.* Ut non immerito ab Ecclesia Vas Spirituale, ac Vas insigne devotionis salutetur: et avium Reginæ Aquilæ merito comparari valeat: Hæc enim sola ferè inter aves in altissima volitat, solem irreflexo intuitu aspicit, ac illum solum è pullis pro suo agnoscit, quem in hoc parentem imitari videt alijs tanquam spurijs à se rejectis: sic & Virgo Beatissima Regina cœli & terræ sola ad altissima pennis suæ divinissimæ contemplationis se sublevabat, divinumque solem oculis irreflexis nec nutantibus mentis suæ oculis aspiciebat ac contemplabatur assidue. Imò tantus fuit hujus Virginis per contemplationem in alta ascensus, ut eum teste *Dionys. Carth. Nullus satis mirari, multò minus percipere possit: Insuper* (inquit) *ascen-*

sum

sum ejus in sublimitate & profectu contemplationis nullus valet satis mirari, quam profundissimè contemplabatur altitudinem imperscrutabilis consilij superbeatissimæ Trinitatis, super modo salvationis generis humani per incarnationem, ac cætera mysteria verbi æterni ex ea veraciter incarnati & humanati: quemadmodum enim amabilissimæ Virgini singulariter datum est ut humanæ salutis mysteria ex ea & per eam efficerentur: sic eminenter datum est ei, ut ab ea profundius contemplarentur.

Quid jam mirum quod teste *Dionisio Carthus cap. 4. Cant. sua divinissima contemplatione Deum quodammodo ad se attraxerit:* Explanans enim illa *Cant.* verba, *Vulnerasti cor meum* ait in persona Dei: *Vulnerasti cor meum vehementissime, attraxisti me ad te, ita quod amore tui quasi vulneratus videbar in uno oculorum tuorum, id est, per sincerissimam contemplationem, quâ me reverentissime ac ferventissime inspexisti totis tuis præcordijs me peroptans.*

§. 4.

NEc solum in contemplationis exercitatione orationisque mentalis frequentatione excellentissima fuit Virgo

beatissima, sed & orationis quoque vocalis studiosissima exstitit, ut ipsam meritò dixeris expleviſſe consilium filij hortantis, *sine intermissione orate*, tam enim B. *Alberto Magn.* teste in orando præclara fuit, ut totam ejus vitam jugem rationem esse diceres: imo per orationem tantam cum DEO familiaritatem adepta est ut unus cum eo spiritus effecta sit. *David* suam in orando assiduitatem & fervorem deprædicans, *media* ait *nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ, Psal. 118. Septies laudem dixi tibi*: at longe diligentior Virgo beatissima Davidis Regia filia, quæ à primo scilicet usus rationis instanti, seipsam per juge orationis sacrificium Domino consecrans non solum septies in die, sed totis diebus orationi instabat, insuper & nocte media consurgens ad eundem sua oratione interpellans: testatur id *Seraphicus Bonaventura*: *Surgebam* ait *ipsa noctis medio & quanta poteram affectione in templo petebam: Primo gratiam qua dilectionis præceptum implerem, & Deum toto corde diligerem, petebam deinde gratiam amandi, & proximum secundum Dei voluntatem & beneplacitum.*

Tertio

Tertio petebam, ut vitam mihi Deus ad illud tempus prorogaret, quo nasceretur Virgo quæ Deum esset paritura Mater: desiderabam itaq; servaret mihi Deus oculos, quibus illam intuerer, linguam qua illam laudarem, manus, pedesque quibus ei servirem. Et nunc quæ est exspectatio mea nonne Dominus? & substantia mea apud te est? Alij in alijs sua quærant gaudia, ego verò delectabor in Domino. Nimirum animatum ipsa templum erat, in quo divinitati jugiter orationis sacrificium immolabatur; Altare Thimiamatis in quo ignis divini amoris jugiter ardebat, & per orationem ad alta erumpebat, aureum thuribulum, ex quo oratio velut incensum suavissimum spirans odorem, ad nares divinas ascendebat.

Sacræ paginæ magnis laudibus evehunt *Iuditham & Annam Prophetissam: Iuditham,* quod in ædibus suis à parte superiori sibi construxerat domicilium, in quo una cum famulabus habitans orationi, alijsque pijs operibus continuo insistebat: sic & *Annam* eò quod numquam à templo discederet, sed orationi die noctuque instaret: sed longe ambabus excellentior Virgo sacratissima

tissima quæ triennis Domino in templo oblata, verum se esse templum Dei, & sacrarium Spiritus sancti, oratione alijsque pijs operibus sufficientissime declaravit, per quæ quodammodo disposita & præparata fuit, ut Patris cœlestis primogenitum, & unigenitum suum quoq; & primogenitum & unigenitum efficeret.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Encomium Marianum *Vigesimum Sextum.*

ROSA MYSTICA.

INter figuras symbola & Hieroglyphica, quibus Beatissimam Matrem Domini sacræ paginæ extollunt, ipseque sponsus cœlestis sponsam suam adumbrare conatur: dum eam *columbæ super rivos aquarum, favo distillanti, Cedro exaltatæ in Libano, Cypresso elevatæ in monte Syon, olivæ speciosæ in campis, & Platano exaltatæ juxta aquas in plateis, Cinnamomo & balsamo, Eccl. 24.* comparat:

rat: nulla est quæ clarius beatissimæ Matris Virginis excellentias & prærogativas explanet quam flos florum, *Rosa* dum à cœlesti sponsa ipsamet per os sapientissimi *Salomonis* illi cõparatur dicente *Eccl. 24. Quasi plantatio Rosæ in Iericho.* Et item ab Ecclesia *Rosa Mystica* & salutatur & creditur: ob causas, proprietatesque *Rosæ* illi optime convenientes.

§. I.

ET quidem prima & eximia *Rosæ* excellentia est: quod sit Regina omnium florum, ornamentum terrę, plantarum decus, & venustas, veris nuncia, purpura hortorum, ornatus puellarum, ut non immeritò Poëta quidam:

Rosa honor, decusque florum;
Rosa cura, amorq; veris,
Rosa flos odorq; divûm.

Nimirum inter alios flores *Rosa* obtinet primatum & principatum, ejusque non solum in hortis sed & omnibus Apothecis, convivijs, comœdijs ac triumphis usus est: hinc & in militia triumphantes olim arma sua ac clypeos *Rosis* exornabant, & *Cornelius Scipio* ex Africa victor rediens, utpote qui primus

primus omnium Romanorum terrorem *Hannibalem* armis deviciſſet, juſſit milites octavæ legionis qui primum in *Carthaginenſes* impetum fecerant, in ipſo triumpho *veras Roſas* manibus geſtare: ſed & poſtmodum *Roſas* depictas in armis circumferre: ſic & alter *Scipio Æmilianus* poſt devictam & everſam *Carthaginem*, non ſolum ſuum currum triumphalem undequaque *Roſis* exornari, ſed & milites undecimæ legionis qui primi omnium *Carthaginenſium* muros tranſcenderant *Roſas* in Galea & armis geſtare præcepit, quin & pius ille è *Societate IESV* ſcriptor *Hierem. Drexel. Roſam* in perſona propria hunc in modum loquentem introducit. *Ego ſpinis undequaque cingor, quas mihi non ad dehoneſtandum, quin potius ad cuſtodiam ad munimentum conditor dedit; contra omnes noctis incommoditates, frigus & ſimilia, me ipſam contraho, & in modum globuli foliis me contego, mane proinde videas me velut togam nocturnali circumdatam, at ſole meridiem radiis ſuis illuſtrante, velut exornatiſſima domicella, ſumme glorioſa appareo: Si miraris foliorum meorum varietatem, coordinationem, colorem, variegationem, odorem?*

laudas

laudas forte virtutem, & potentiam meam? an extollis, ac deprædicas in me, quod ex me tantæ aquarum distillatarum species: olea distillata, saccharumque rosaceum conficiatur? Multò magis mirare in creatura, creatorem; in factura lauda factorem: in beneficio, ama benefactorem. Magna prorsus encomia, magnum enim *Rosæ* encomium est dicere illam veluti Imperatricem inter flores viridi in throno adornato saphyro, residere sublimem, vestitam purpura, coronatam auro, palpari ab avibus, mulceri ab aura, à cœlo officiosissime coli, & ancillari, à fideli & armata undiq; spinarum, seu militum muniri custodia: at longe majus excellentiusque encomium ejus est quod ipsa cœli terræque Imperatrix & Regina dicatur *Rosa. Quasi* inquit *plantatio Rosæ in Iericho*, si causam ejus quæras? respondet *Dion. Carth. sicut rosa est pulcherrima florum, sic dignissima Virgo est venustissima fœminarum, immo sanctissima creaturarum purarum, quæ mitigativa est dolorum vitæ præsentis, & illuminativa oculorum cordis, sicut aqua ex Rosis expressa sedat dolores, atq; clarificat oculos.* Aliam causam adducit *Richard. de S. Laurent. lib. 12. de*

Laud.

Laud. Virg. Quia rosæ Jerichuntinæ constent centum quinquaginta solijs, quibus eleganter figurantur ac significantur, centum quinquaginta salutationes, quę ad honorem ejusdem Beatissimæ Virginis recitantur in *Rosario Mariano*: MARIA ait *Rosa dicitur, & non quælibet Rosa sed Ierichuntina, quia in Iericho crescunt rosæ pretiosissimæ, habentes quinquaginta folia.* Sed & beatissimam Virginem per rosam fuisse præfiguratam, uniformiter SS. Patres fatentur, unde & *S. Vincent. Ferrer. Ord. Prædicat.* Concionator eximius *serm.* in laudem *S. Annæ* MARIA *Virgo* inquit *Rosa paradisi est, quæ ex progenie David, per Ioachim credentibus data est.*

§. 2.

PLinius rosæ dignitatem & speciem depingere volens, *Rosa* inquit *matre fera aut potius noverca progignitur, corona spinarum & aculeorum circumquaq; cingitur, naturalis tamen ejus pulchritudo summa est. O Rosa* exclamat quidam ejus amator, *sive in triclinio super mensam jacens, sive in hortorum areolis florens, sive in Ecclesijs pro honore divino Altaria exornans, ubiq; oculos pulchritudine*

tuæ

tua recreas, ubique nares suavissimo tuo odore confortas. Jam *Rosam Mysticam* oculis mentis contemplemur & eam vivæ rosæ assimilari non ambigemus: Quid enim? nonne & ipsa matre noverca, fera & crudeli nata est, dum rebelli illo Judæorum germine progenita, mores tamen ejus intemperantes sequuta non est? sic & spinis undequaq; cincta est, nequaquam tamen ob ijs molestata puncta, imo ne tacta quidem: licet enim sacratissima Virgo progenita sit ex radice peccatrice scilicet *Eva* illam tamen non tetigit ulla peccati originalis, aut actualis, mortalis, aut venialis spina: quemadmodum supra fuse probatum est unde cecinit *Sedulius.*

Et velut è spinis nulla mollis rosa:
Sic Eva de stirpe sacra veniente MARIA
Nil est quod laniet matrem.

At longe excellentius *Doctor Mellifluus serm. de B. Virg. Eva* inquit *spina fuit,* MARIA *rosa exstitit, Eva spina vulnerando,* MARIA *rosa omnium affectus mulcendo, Eva infigens omnibus mortem,* MARIA *rosa reddens salutiferam omnibus sortem.* Unde & *S. Ioan. Dam.* ô *rosa* ait *quæ ex spinis hoc est ex Judæis orta es,*

ac divina fragrantia cuncta perfudisti. Quid ergo mirum quod à cœlesti sponso Virgo sacratissima lilio inter spinas comparetur? Rosæ potius dicam cum *S. Gregorio Nisseno* inter spinas? nam verba illa *Cant. sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias*, vertit *S. Gregorius Nissænus: sicut rosa inter spinas*: An non bene inter spinas, quæ undequaque cincta blaphemantium, parricidarumque turba bene dicere potuit: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacifica*: An non meritò *rosa inter spinas* quæ tot angustiarum, dolorum, persecutionumque aculeis cingebatur assidue, à quibus tantum abest ut læsa fuerit ut potius majorem ex hoc gloriam pulchritudinemque suam conceperit, unde *S. Birgittæ* Angelus quidam *sicut rosa* aiebat *crescere solet inter spinas, ita hæc venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter Angustias.*

§. 3.

QUod si amplius Rosæ Mysticæ pulchritudinẽ intueamur, non imẽritò inter alias prærogativas ea primatum sibi vendicat, & tanta est ut nec concipi, ne dicam verbis exprimi queat: hinc est quod spon-

sponsus cœlestis: *Tota* ait *pulchra es amica mea, tota pulchra es & macula non est in te*: Et alibi. *Quam pulchra es amica mea quam pulchra es? oculi tui columbarum, absq; eo quod intrinsecus latet.* Et alibi: *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa, pulchriora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Sive ergo Virginis hujus sacratissimæ interiorem, sive exteriorem pulchritudinem contemplemur summa est, & tanta quidem ut violentiam ab ea sibi fieri quæratur sponsus cœlestis: *vulnerasti* inquiens *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui*: Interiorem verò ejus pulchritudinem contemplans *Dion. Carth. cap. 4. art. 15. in Cant. Tanto plane* ait *pulchrior cæteris universis, quanto in omni gratia virtute, dono, beatitudine, fructu perfectior, quanto purior, innocentior, & ab omni culpa immunior, quanto fonti totius pulchritudinis, decoris propinquior, utpote vera Mater illius. Immo tam pulchra quod fons ille superpulcherrimus concupivit decorem istius, tamq; delectabilis & jucunda fuit, super speciosissimo unigenito Patris æterni ad contuendum, ad convivendum,*

dum, ad diligendum, quod in ea, & cum ea præ cunctis commorari, & conversari elegit in terris, & sicut ille speciosus forma præ filijs hominum, sic ista est speciosa præ filiabus, ergo & præ filijs hominum post unigenitum suum: cujus oculi columbarum id est maxime columbini, pudicissimi, plenissime custoditi, numquam inordinate aperti, numquam in aliquem indecenter directi aut fixi: cujus intentio fuit inviolabiliter recta simplex purissima, numquam ad proprium commodum aut honorem reflexa. Absq; eo quod intrinsecus latet. Incomprehensibilis etenim sponsus, munificentissimus, optimus, omnipotens filius, incomprehensibiliter secretissime, liberalissime operabatur, radiabat, communicabat se in matre. O quis queat excogitare, aut capere qualiter verbum illud æternum, quod suo claro intuitu Angelos sanctos felicitat, mentem suæ dilectissimæ, ac innocentissimæ matris assidue visitavit, quam copiosissime omnia ejus interiora illuminavit, quam calidissime inflammavit illius affectum, quam miro & ineffabili modo fidelissimam, & affectuosissimam suam genitricem corroboravit, ornavit, perfecit, implevit, totaliterq; possedit? quidquid de perfectione raptus & extasis, quidquid

de præ-

de prælibatione, & participatione futuræ beatitudinis exstitit in alijs, multo eminentius in ea creditur exstitisse. Hoc ergo latuit in virgine intrinsecus, quæ utiq; cum fervore & devotione, puritate & stabilitate soli Deo & sibi notæ vacavit, inhæsit, intenta immersaq; fuit: cujus interior incomparanda sinceritas, tranquillitas, sapientia, virtuositas resplenduit in vultu ipsius & eam gratissimam, venustissimam & compositissimam fecit in omnibus; Hinc etiam mox subjungitur, *capilli tui sicut greges caprarum Universæ namq; cogitationes, meditationes, contemplationes, affectionesque Virginis admirandæ erant ornatissimæ, decentissimæ atque mundissimæ totius charitatis fervore perfusæ, formatæ, splendifluæ, & cum omni promptitudine in Deum reductæ, recollectæ, & stabilitæ.* Verum hisce finem imponamus cum pulchritudo hujus Rosæ Mysticæ & efficacia sat latè descripta sint alibi.

§. 4.

PUlchritudinem Mysticæ Rosæ hujus Virginis inquam superbenedictæ, è vestigio sequitur suavitas odoris ejus: uti enim rosa quamprimum folicula sua expandit, mox velut flumen odorem suum effun-

dit, ac longè lateque diffundit: Sic Virgo sacratissima quamprimum nata est virtutum suarum odorem adeò diffudit, ut etiam ad nares cœlestis Patris pertingeret, ejusque unigenitum ad se è sinu patris attraheret.

Isaac olim ut *Geneseos* narrat historia, filium suum *Iacob*, simulatum *Esau* benedicturus, mox ut sensit vestimentorum ejus fragrantiam exclamans: *Ecce* inquit *odor filij mei sicut agri pleni cui benedixit Dominus:* Eodem modo accidisse videtur cœlesti patri ejusque unigenito mox ut sensit vestimentorum sive animæ, sive corporis fragrantiam: hinc tot laudes *trahe me post te in odorem curremus unguentorum tuorum, oleum effusum nomen tuum.* Et item *odor unguentorum tuorum super omnia aromata:* Et alibi *favus distillans labia tua & odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Ut non immerito asseveraverit in suo MARIANO Psalt. *Seraph. Bonav. odor tuus sicut agri pleni, cui benedixit Dominus, qui in benedicentes te redundat irrigans omnia intima eorum:* Imo tantus tamq; suavis est odor ejus eodem teste, ut super eo singulariter gaudeant, & exultent

Ange-

Angelici Spiritus, beatique omnes: *abundantiam dulcoris tui* inquit *Angeli eructabunt & suavitatem tuam sancti pronunciabunt*. Et item *quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domina quam præparasti diligentibus & sperantibus in te*. Et quid mirum beatas illas mentes hujus rosæ odore delectari, cum ipse Rex Regum, Dominus Dominantium eo non solum recreatus, sed & ad terram tractus fuerit, uti ipsamet cælestis sponsa *Cant. 1.* testatur *dum esset* inquit *Rex in accubitu suo nardus mea* (lingua arabica vertit *rosa mea* eo quod apud eos *rosa dicitur nardus*) *dedit odorem suum*: In quem locum commentans *Abbas Tuitiensis Rupertus*, *per regem in accubitu suo*, intelligit filium Dei in sinu æterni Patris recumbentem. Per *nardum* humilitatem Virginis sacratissimæ, qua nimirum ex illo accubitu & sinu Patris æterni in uterum Virginis beatissimæ sit attractus filius Dei. Verba ejus sunt *Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Quid enim est vel erat accubitus Regis, nisi cor vel sinus Patris, dum ita esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum, & hoc odore delectatus descendit in*

uterum meum. Olim in Eva malo superbiæ fœtore offensus, & ob hoc ab humano genere aversus fuerat : nunc autem delectatus odore meo nardo humilitatis meæ: sic ad genus humanum conversus est. Propterea nardum meam dico humilitatem meam, quia sicut nardus herba aromatica parvo quidem frutice, vel parva spica nequaquam in altum se subrigit, sed comosa atq; odoratissima flore optimi odoris, atq; radicula suavi multis usibus probatur utilis: sic humilitas mea suo quidem arbitrio & judicio parva est res, nimiumq; exilis, sed judicio Regis pretiosior est cunctis operibus legis, in quibus homines justi sibi videntur, atq; magnifici: ipsum Regem & Patrem ejus Deum sanctum quoq; Spiritum unice delectat, velut suavis odor qualis quantusq; de nullo unquam usque ad ipsum spiravit vel spirare potuit sacrificio. Amici hoc ego experta sum. Humilitatem meam de illo accubitu suo sensit & respexit, & valdè delectatus aspectu, & placuit sibi quod in isto sexu, à quo initiũ superbiæ generi humano superveniens totam massam corrupit. Eodem modo hunc locum *Cant.* de Beatissimæ Matris & Virginis ardentissimæ charitatis & humilitatis fragrantia explanat *Dionys. Carth.*

per

per nardum herbam ſpecioſam, inquit *ſuaviter redolentem, atque naturæ calidæ exiſtentem, deſignatur vel humillima charitas, vel ardentiſſima humilitas virtuoſorum actibus plena, virginis admirandæ, quæ nardus tam ſuaviſſime coram excellentiſſimo Rege fragravit, quod Regem ipſum in ſinu Patris quieſcentem oblectavit, atque attraxit ad ſumendam ex virgine præelecta naturam humanam: Deinde Rege hoc per incarnationis myſterium in ejus utero novem menſibus commorante aucta eſt fœcundiſſima Virginis gratia, decor, virtus, devotio, ſeque latius diffuderunt.* Ut quid ad excellentiam Roſæ hujus Myſticæ ejuſque fragrantiſſimi odoris addi poſſit, vix videam. Utinam & ad nares animæ noſtræ ſuaviſſimus odor iſte pertingat, noſq; in amorem hujus Roſæ accendat, aſſidueque cum devotiſſimo *Caſymiro* Rege exclamemus:

Ejus flore & odore,
Recreari cupimus:
Cujus fructu nos à luctu,
Liberari credimus.

Et cum pientiſſimo Abbate *Bloſio* Roſam hanc Myſticam jugiter ſalutemus dicentes: *Ave redolens viola altiſſimæ humi-*

litatis & rubens Rosa charitatis ardentissimæ MARIA *pervéniat obsecro ad me fragrantia aromatum tuorum, te sentiat spiritus meus in nocte, te exoptent præcordia mea per diem, tibi suaviter afficiatur cor meum, te medullitus diligant intima mea hilariter in tuis laudibus occupetur mens mea semper.*

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Encomium Marianum *Vigesimum Septimum et Octavum.*

TURRIS DAVIDICA & EBURNEA.

TUrres in magnis ampliſq; civitatibus arcibus ijſque locis quos contra hoſtes munire intendimus conſtrui experientia novimus: quia ſerviunt ad hoſtium inſidias à longe ſpeculandum & præveniendum, quin & ad munimentum & ſingulare ornamentum : ſic olim Paterfamilias à Chriſto Domino in parabola propoſitus cum *plantaſſet vineam eiq; ſepem circumdediſſet*

disset torcularque fodisset, deniq; pro majori ejus & munimento & ornamento *turrim in ea exædificavit*: videtur idem feciſſe cœleſtis Paterfamilias; poſtquam enim plantaſſet vineam *Synagogam* Judæorum, in fine ejus quoque turrim ædificavit, ut ruente jam ad interitum vinea turris illi ſupereſſet: turris inquam illa de qua cœleſtis ſponſus *Cant. ſicut turris David collum tuum, naſus tuus ſicut turris Libani*: Et de qua ipſa cœleſtis ſponſa, *Ego* inquit *ſicut turris Virgo* inquam ſacratiſſima quam Eccleſia *Turrim Davidicam & Eburneam* ſalutat. Et vere eam turrim fuiſſe jam videbimus.

§. I.

IN turrium ædificio, quæ maxime mireris & laudes tria ſunt: profunditas, altitudo, & munimentum quod præſtat: tria hæc in *Turre Davidica* atque *Eburnea* excellentiſſimo quodammodo reperire eſt: ut non immerito *Melliſluus Doctor Bernardus ſerm. de Aſſumpt. Virg. B.* præ admiratione exclamarit: *Quis ergo* inquit *miſericordiæ tuæ ô benedicta longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum queat inveſtigare? Nam longitudo ejus uſque in diem novi ſſi-*

novissimum invocantibus eam subvenit universis: latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra, sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris, & in umbra mortis obtinuit redemptionem.

Uti ergo quo ædificium turris excelsius, altiusque moliri intendimus, tanto quoq; altius seu profundius fodimus fundamentum, ut quandoque tantum sit quoad profunditatem fundamentum, quantum quoad altitudinem moles superexstructa. Unde benè *S. August. serm. 10. de verbis Domini. Magnus* inquit *esse vis à minimo incipe, cogitas magnam fabricam cõstruere celsitudinis de fundamẽto, priꝰ cogita humilitatis. Et quantam quisque vult & disponit superimponere molem ædificij, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum construitur, in suprema consurgit, qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur. Quod est fastigium constituendæ celsitudinis & fabricæ, quam molimur? qui perventurum*

turum est cacumen ædificij ? cito dico usque ad conspectum Dei: videtis quam excelsum est. Ex quibus aureis verè verbis facile ominari est, quanta fuerit *turris Davidica* ac *Eburnea* Virginis dico superbenedictæ profunditas , quanta humilitas cum enim eam *Deus Opt. Max.* super omnem creaturam puram super omnes Angelos , Archangelos, Virtutes , Dominationes, potestates, elevare exaltareque intenderet, utique & fundamentum humilitatis infra omnes creaturas ponere debuit : *Numquam enim* (ut rectè asseruit *S. Maxim. serm. de B. Virg.*) MARIA *super cæli solium ascendisset, nisi mentis humilitate, prius sub omnibus descendisset.* Et *Dion. Carth. serm. 2. in Assumpt. Virgo* inquit *altissima , profundissima humilitate fuit vallata; unde & ipsa fatetur, quia respexit humilitatem ancillæ suæ :* Quæ verba intentius perpendens: *ô mira exclamat & profunda* MARIÆ *humilitas. Ecce Angelus* MARIAM *alloquitur dicens: Ave gratia plena.* MARIÆ *Spiritus sancti superventio gratiosa promittitur,* MARIA *in Matrem Dei assumitur,* MARIA *omnibus creaturis præponitur,* MARIA *cæli, & terræ Domina efficitur, & tamē pro omnibus*

nibus his superbia nulla extollitur, imo & in omnibus his mira humilitate se deprimit dicens: Ecce Ancilla Domini. Non dixit: ecce Domina mundi, sed ecce Ancilla Domini: Conformiter *Augustin. Bernard.* ô MARIA exclamat *tu spiritum elationis, virtute humilitatis penitus contrivisti, quam ita in te respexit Dominus ut ipsius merito super omnes choros Angelorum te sublimare dignam putaverit, numquam enim super omnes choros Angelorum sublimata ascendisses, nisi prius infra omnes homines humiliata descendisses.*

§. 2.

VArijs autem figuris sponsus cœlestis utitur, ut hanc Virginis sacratissimæ humilitatem adumbret: Et primo quidem comparat eam lunæ inquiens: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna:* habet autem hoc luna præ alijs planetis sibi proprium; quod quando est plenissima dum est plenilunium, ut ob hoc merito gloriari deberet, cristasque erigere, tunc quasi se humiliando incipit diminui, & deficere splendor ejus, quod ut quidam per emblema proponeret lunæ plenæ hæc suppositit verba: *Consummata*

minuitur

minuitur: Certe in Virgine excellentissima & humillima simul hoc ipsum quoque intueri licet: verè enim luna hæc mystica *consummata minuitur* : Cum enim esset jam magnificata nimis, ut etiam fateretur sibi maxima à DEO facta : *fecit* inquiens *mihi magna qui potens est*, mox etiam minui cœpit humilians se inquiens : *quia respexit humilitatem Ancillæ suæ*, Cum jam tantum lucis & splendoris haberet ut ipsum justitiæ solem utero gestaret, *Ecce* inquit *Ancilla Domini*. En qualiter hæc luna consummata minuatur. Ut jure merito *Bernardus* exclamet: *Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & Ancillam se nominat: non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria obliuisci humilitatem, non magnum est esse humilem in abjectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.* Sed amplius si libeat hanc lunæ in consummatione minutionem videamus: in summis ab *Elisabetha* cognata sua sibi delatis encomijs : *Vnde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me: Ecce ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit*

tavit in gaudio infans in utero meo : Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Magna quidem præconia, sed & devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur. Tu inquit *magnificas Matrem Domini, sed magnificat anima mea Dominum: in voce mea filium meum perhibes exultasse in gaudio, sed exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: Beatam esse dicis quæ credidisset, sed crudelitatis & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus.*

§. 3.

VT amplius cœlestis sponsus sponsæ suæ humilitatem & humilitatis profunditatem ob oculos ponat, nec non ostendat quantum sibi in ea complacuerit: *Vulnerasti* inquit *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum & in uno crine colli tui:* per hunc crinem colli intelligit *B. Abbas Tuitiensis Rupertus*, Virginis humilitatem ita inquiens: *Nec verò solummodo in uno oculorum tuorum vulnerasti cor meum, sed & in uno crine colli tui, id est in*

est in nimia humilitate cordis tui, quem videlicet crinem semper unum vidi, quam humilitatem semper uniformem, & indeficientem esse conspexi. Quid uno crine gracilius? & quid humilitate subtilius? quid crine flexibilius? & quid humilitate confractius? crinis unus vix comparet, humilitas tua vix consentit, quod computari possis inter homines. Iste est crinis colli humilis cogitatus mulieris caput non habentis: caput inquam id est virum neq; habentis neque habere volentis.

Invenias homines qui omnia divina præcepta à se amovere conentur pravam consuetudinem & difficultatem prætendentes: si homini carnalibus delicijs & voluptatibus dedito castitatem suadeas, divina præcepta, fornicationem, omnem illicitam carnis voluptatem vetantia ob oculos ponas, obviabit mox suo cantico: *non possum*: si ebrioso & potationibus dedito, si avaro, iracundo, alijsque similis farinæ hominibus, vitiorum suorum turpitudinem, detrimenta, & vitandi necessitatem ad vivum depingas, idem quod à priore responsum reportabis: sed numquid quis dicere audeat humilis esse non possum? recte & ad

rem *Bernardus*, *Audis* inquit *Virginem, audis humilem, si non potes virginitatem humilis, saltem imitare humilitatem virginis, laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur. De illa dicitur qui potest capere capiat: de hac autem nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum: illa ergo remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine virginitate salvari, sine humilitate non potes.* ET ut habeant quod ex hujus Bmæ Virginis humilitatis exemplo discant virgines, quî de sua virginitate fatuè gloriantur & superbiunt : prefatis mox subjungit idem *Bernardus*, *quid dicis* inquit *virgo superba?* MARIA *virginem se oblita gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem blandiris tibi de virginitate? Respexit* ait illa *humilitatem ancillæ suæ: Quæ illa virgo utique sancta, virgo sobria, virgo devota. Numquid tu castior illa? numquid devotior: aut forte numquid tua pudicitia gratior castitate* MARIÆ, *ut tu sine humilitate placere sufficias ex tua, quod illa non potuit ex sua. Deniq; quanto honorabilior es ex singulari munere castimoniæ, tantò tibi tu majorem injuriam facis, quod ejus in te decorem fœdes permixtione*

mixtione superbiæ. Alioquin expedit tibi virginem non esse, quam de virginitate insolescere. Non omnium est virginitas, multo tamen paucorum est cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in MARIA *non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, & sufficit tibi, quod si & Virgo, & humilis es, quisquis es magnus es.*

§. 4.

NEc solum optime fundata & per humilitatem profundata fuit *Turris* nostra *Davidica*, sed & munita per omnium virtutum clypeos dicente de ea cœlesti sponso: *sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: Quin & ipsa humilitas si Abbati Tuitiensi credimus inter hosce clypeos turrim hanc munientes & protegentes jure merito primum sibi vendicat locum: unde explicans præfata *Canticorum* verba: *Quid erat* inquit *Turris David? Putasne illa turris manufacta, de qua legitur cœpit q. David Syon hæc est civitas David. Imo turris David non manufacta fuit, cui tuum collum ô dilecta debeat assimilari, & hæc est humilitas David. Atque hic sensus placet*

magis filiæ Syon ait Dominus Deus apud Isaiam elevata sunt, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, Hæc fuit superbia illarum, propterea expugnari potuerunt. Tuum autem collum nequaquam extentum fuit, sed est sicut turris David, id est sicut humilitas David, per quam ille coram Deo fortis, & contra homines stetit inexpugnabilis. Ipse enim quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui & cum esset Rex unctus dixit ad Saul cum eum ille persequeretur. Quem persequeris Rex Israël, quem persequeris? canem mortuum & pulicem unum. Turris ista ædificata est cum propugnaculis & mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, id est hanc tantam ejus humilitatem cæteræ virtutes consequutæ sunt, maximeque fortitudo & sapientia, sicut scriptum est: David sedens in Cathedra sapientissimus, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. O qualis hæc turris, qualia propugnacula? ex ea mille clypei pendent, omnis armatura fortium, quia propter humilitatem accepit ut caneret & scriberet verba fortitudinis, verba sapientiæ & veritatis: tam multa ut millenarius numerus vult intelligi: tam fortia ut omnibus exinde armatus,

nihil

nihil falsitatis sistere possit. Ita collum tuum, imo & ultra quam turris illa, collum tuum, id est humilitas tua, quæ sedet vel paret in collo tuo non extento, ædificata est cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Nihil enim deest illic omnium quæ continentur in scripturis veritatis, & neque invisibilis diabolus, neq; visibilis homo hæreticus è contra potuit, vel unquam poterit. Adde illud quod maximum est, *quia verbi cujus mysterij consecuta est ut caneret humilitas Patris tui David, verbi* inquam *ejusdem substantiam concepit & incarnatam peperit humilitas tua ô filia David.* Hucusque *Rupertus* qui benè humilitatem pro maximo hujus *Davidicæ turris* munimento constituit, qua nimirum sola in nobis existente, nihil est quod nocere, nulla est tentatio quæ nos vincere possit, Deo humiles sub umbra alarum suarum protegente: ea autem sola ablata pateamus omni rũinæ, nullæ tentationi superiores esse possimus, Deo gratiam suam superbis subtrahente, quâ sublatâ quid restat nisi in omne scelus ruamus: hinc optime *Bernard. serm. 54. in Cant. Time ergò sublata gratia* inquit *tanquam mox casurus.*

Time quia reliquit te custodia tua: nec dubites in causa esse superbiam, etiamsi non appareat, etiamsi nihil tibi conscius sis: Quod enim tu nescis, scit Deus: & qui te judicat ipse est, sed nec qui se ipsum commendat probatus est, sed quem Deus commendat. Numquid commendat te Deus cum gratia privat? aut numquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? ergò argumentum superbiæ privatio est gratiæ, quanquam interdum subtrahitur gratia non pro superbia quæ jam est, sed quæ in te futura est nisi subtrahatur, sed sive jam existens sive nondum: superbia tamen semper causa erit subtractæ gratiæ.

§. 5.

SEd Turris Davidicæ fortitudinem ulterius explicans Sponsus cœlestis, *mille* inquit *clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*, ac si manifeste dicat nihil armorum, nihil quod hanc turrim inexpugnabilem reddere possit illi deest, nimirum *terribilis est sicut castrorum acies ordinata. Terribilis dæmonibus* inquit & S. R. E. Card. *Petr. Dam ordinata virtutibus.* Non enim humilitate tolum sed & alijs virtutibus copiosissime ornata & munita fuit Virgo sacratissima te-

ma teste *Doctore Extaico Dionys. Carth. Per collum tuum mentis* inquiens *intelligi solet voluntas, quæ sua libertate in altum extenditur. Porro voluntas Virginis benedictæ verè fuit liberrima, id est subjectissima & obedientissima Deo, cui servire regnare est, id est vitijs concupiscentijs & vanitatibus, dæmonibus prævalere ac dominari. Hæc voluntas Reginæ ac Dominæ nostræ per charitatem fuit altissima imo summo universorum principio perfecte unita ac directissime ad ipsum extensa, per profundissimam humilitatem, & inæstimabilem pietatem ad miseros inclinata, cunctis donis ac virtutibus ad voluntatem spectantibus scilicet charitate Dei, ac proximi in qua nihil mansit de proprio, nec de privato amore, sed abnegatissima fuit, & resignatissima Deo.* Et clarius ad verba *Cant. Collum tuum sicut turris Eburnea. Collum* inquit *spirituale virginis admirandæ est, libertas animæ ejus semper ad Deum rectè erecta, nullo culparum pondere pressa, nulla incursione hostili vincibilis, sed instar Eburneæ turris omni virtutum constantia solidata, valdèq; alta, quia aa summum bonum inavertibiliter elevata.*

Et causam tantæ munitionis assignans quidam recens author ait sacratissimam Virginem creatam fuisse eum in finem, ut Draconis infernalis & principis tenebrarum esset flagellum, hinc à primo conceptionis exordio usq; ad vitæ suæ terminum, à Deo ipso summè custodita fuit, & præmunita instar munitissimi propugnaculi, quod serpens antiquus nedum invadere, sed nec accedere præsumeret: hinc & ipsa in *Cant.* describitur quasi undiqué turribus vallata *ubera mea* inquit *sicut turris, ex qua facta sum coram eo quasi pacem reperiens.*

§. 6.

NOn parum etiam extollit TURRIM MARIANAM, quod sit *Eburnea: ebur*, enim præterquam quod sit res candida, frigida, munda, & rubicunda: summæ quoque soliditatis est, fit enim de ossibus & dentibus Elephantis & tantæ est soliditatis quod ignibus non faciliter concrematur: sic & *Turris Eburnea* Virgo sacratissima præterquam quod sit candidissima, frigida & rubicunda per castitatem, solidissima quoque est ut jam allata, & *Ebur* cui comparatur ostendunt. Ut meritò *Guerricus Bernar-*

Bernardi pijſſimus in colenda Virgine Bm̃a æmulus aſſeruerit: *ſerm. 1. in Annunt. Dom.* *mihi* inquiens *ſane magis mirari libet, illud Ebur tam pretioſum imo & impreciabile virginalis caſtimoniæ, de quo ſibi ſedem & turrim facere delegit, qui ſedet ſuper Cherubim. Hæc* inquiens *requies mea in ſæculum ſæculi, hic ſedebo quoniam elegi eam. Quam nitidum Ebur illud quod oculis tanti tamq; divitis Regis placuit, in cujus diebus argentum nullius eſt pretij, quam frigidum, quod nec à conceptu concaluit, quam ſolidum, quod nec partus violavit, quam candidum ſimul & rubicundum, quod candor lucis æternæ, igniſque Spiritus ſancti univerſa ſui plenitudine replevit:* MARIA *ſiquidem & ipſa candidior nive, rubicundior ebore antiquo, cui ſcilicet incomparabilem & caſtitas candorem & charitas ſeu martyrium rutilantem præ antiquis electis noſcitur contuliſſe ruborem. Nam & ſuam ipſius animam pertranſivit gladius, ut Mater ſummi Virginis & Martyris eſſet, & Virgo, ipſa & Martyr, candida & rubicunda, quemadmodum dilectus ejus candidus, & rubicundus. Quam beatus igitur ille venter Eburneus, unde caro Eburnea ſumpta eſt Redemptoris, pretium animarum, miraculum*

Angelorum, ſolium ſummæ majeſtatis thronuſq; poteſtatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, reſtitutio ſanctitatis. Beatus inquam venter ille, qui te Domine IESV portavit, felix caſtitas uteri verginalis, quæ huic operi materiam miniſtravit. Felix prorſus fratres mei nitor illius Eboris, id eſt candor caſtitatis, cui nec aurum mundanæ ſapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicujus excellentis gratiæ noſtri præfecit electio Salomonis; ſi modo tamen caſtitas humilitate commendetur, quia humilitatem Ancillæ ſuæ reſpexit Dominus. Proinde namq; Salomon cum in carmine amoris caſtitatem deprædicaret Virginis ſeu ſponſæ videlicet ſeu ſponſi, quia quorum ſpiritus, unus & caro una, in pleriſque etiam laus una, ut caſtitatem illius adornatam, noſtramq; adornandam, cum alijs virtutibus doceret, ait *venter ejus eburneus diſtinctus ſaphyris.*

Ob eandem cauſam Eboris ſcilicet candorem & ſoliditatem, *Turrim* noſtram *Eburneam* ſuſpicit & deprædicat maximopere *Rupertus*: *verè* ait *pulcher & decorus venter Eburneus, quoniã ſicut ebur magni corporis ſcilicet Elephantis tota pulchritudo, totumq; pretium eſt, ſic iſte venter ex genere humano*

mano assumptus, totius mundi decus & gloria est. Pulchrius namq; atq; pretiosius est ebur, carne vel corpore reliquo de quo sumptum est, & nihilominus caro dilecti, adde & dilectæ hujus pulchrior, mundior, & incomparabiliter sanctior, est omni massa cujus ex sanguine sumpta est. Soliditatem autem ejus ac fortitudinem celebrat exponens *Cant.* verba: *Collum tuum sicut turris eburnea*: verè inquit *sicut turris eburnea, quæ est aspectu amabilis & statura fortis. Cui fortis? cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis: Diabolo autem terribilis & inaccessibilis.*

Ad hanc igitur turrim & pulcherrimam, & munitissimam incessanter properet cor & anima nostra, ut & ab ea ornari, & ab hostium insidijs securi esse possimus, cum *Seraphico Bonaventura* assidue exclamantes: *Esto nobis Domina turris fortitudinis, & petra durissima conterens inimicum.*

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM. QUARTUM.

Encomium Marianum *Vigesimum Nonum.*

DOMUS AUREA.

INnumerabilia fuêre ornamenta & artificia quæ Regum sapientissimus in ædificio Domus suæ Regiæ, sed illis longe majora quæ in domo Domini exstruxit: quanta enim pulchritudo & decor illius? quanta amplitudo? tanta ut quis cum Propheta exclamet: *O Israël quam magna est domus Domini & ingens locus possessionis ejus.* Tanta erat pulchritudo, ut omnia auro radiarent: *Columnæ aureæ super bases argenteas, candelabrum aureum, sanctum sanctorum*: Imo ut paucis multa complectar, nihil erat tam in domo saltus Libani, quam in domo Domini, quod non auro tegeretur. Talem ac tam sumptuosam domum *Salomon*, ad solius Arcæ fœderis custodiam & honorificam asservationem exædificavit. Verum

rum infinite digniorem majorib⁹ ornamẽtis ſplendidam domum, Pater cœleſtis unigenito filio ſuo carnem aſſumpturo ædificavit, Virginem inquam ſacratiſſimam ut in ea habitaret & quieſceret: unde pijſſime Abbas *Guerricus ſerm. 1. in Aſſumpt. ſane* inquit *omnium Beatorum beatiſſima eſt* MARIA *quæ de numero omnium electorum ſingulariter eſt electa, & præelecta, quoniam elegit eam Dominus elegit eam in habitationem ſibi dicens. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Habitavit in ea novem menſibus, habitavit cum ea & ſub ea annis pluribus. Habitans in ea replebat eam ſingulari gratia chariſmatum, habitans cum ea, paſcebat eam incomparabili piorum ſuavitate morum, & divinorum deſiderabili ſapientia ſermonum, nunc autem in ea, & cum ea ſicut interminabili ævo, ſic incomprehenſibili modo habitans ſatiat eam beatificantium gloria viſionum, foris quidem glorificatæ carnis formam exhibens, intus autem verbi glorificantis formam imprimens: O* MARIA ait *Dominus non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocaberis amplius deſolata, ut quia Virgo, ideo ſis in-*

sis infœcunda: sed vocaberis voluntas mea in ea, id est dilectus filius meus in ea quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur: habitabit enim juvenis cum virgine, & habitabit in te filius tuus: imo si magis placet, ut minus recedamus à verbis sapientiæ & scripturæ: habitabunt in te filij tui.

§. I.

FUit autem hæc domus Domini ampliſſima & nobiliſſima: amplitudinem ejus quivis facile æſtimabit, ſi ad eum oculos convertat qui in eadem habitaculum habuit, ſi enim continentis latitudinem, longitudinem, & profunditatem ex rei in eodem contentę latitudine, longitudine & profunditate, ritè penſamus: utiąue ſacratiſſimum illud continens, uterus virginalis, habitaculum ſcilicet Patris & Filij & Spiritus ſancti immenſum, omnemq; excedens menſuram & dimenſionem, ſive ſecundum longitudinem, ſive latitudinem, ſive profunditatem fuiſſe indubium eſt: cum continuerit illum, qui cœlum & terram implet, imo qui nec terræ nec cœli amplitudine coarctari poteſt, ut non immerito eidem accinat S. Mater Eccleſia: *Sancta & immaculata*

culata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

Salomon olim post absolutum templum cujus ædificationi ab eo septem, reædificationi ab *Herode Ascalonita* & alijs quadraginta sex anni à tot artificib⁹ impensi sunt alloquens Dominum, *sed numquid verè habitabit Deus cum homine super terram? Ecce cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto minus domus hæc quam ædificavi?* Ita est: non potuit domus à *Salomone* ædificata capere illum, quia magnus Dominus & magnitudinis ejus non est finis: Unde & philosophus DEI magnitudinem & immensitatem descripturus: *Deus* inquit *est sphæra incircumscriptibilis, cujus centrum ubique est, circumferentia autem nusquam*: nihilominus hunc ipsum domus virginalis suis limitibus incluſit & coarctavit, ut an eam domum, an regnum, an cœlum potius nominem ambiguus sim: *In hac siquidem si Bernardo* credimus *habitavit Pater & filius, ut creator in mundo, Imperator in regno, Pater familias in domo, Pontifex in templo, sponsus in thalamo: prius enim altissimus eam sibi quasi mundum specialissimum creavit.*

quam in sanctitate, & justitia coram ipso fundaret, & fluentis sapientiæ irrigaret, & cœlestibus desiderijs instar scilicet aëris sublimaret & igne dilectionis accendendo illustraret. Ut potius mundum aut cœlum animatum cum *Drexelio*, quam domum auream nominemus.

§. 2.

IAm verò si hujus sacratissimæ Domus splendorem attentis oculis attendamus, tantam in ea pulchritudinem, tantum decorem & ornatum reperiemus, ut eam merito ab Ecclesia domum auream appellatam censeamus: ad eam siquidem exornandam tota sanctissima Trinitas concurrit: hinc *in ejus mente* ut ait *Bernardus tom. 5. mihi pag. 276. tanquam in quodam firmamento, solem posuit rationis, & lunam scientiæ & virtutis, tanquam stellas speciei omnimodæ, solem qui lucem divinæ cognitionis faceret, lunam quæ cum stellis actionem noctis splendidam redderet, & merito Domini est terra quia sic super maria fundavit eam:* hujus quoq; diviniſſimæ domus fulgorem qua omnibus virtutum generibus interius exteriusque radiabat explicat *Simon Cassia lib. 2.*

super Evan-

sup. Evangel. Virgo divina inquit *filia patris æterni, mater æterni filijs habitaculum Spiritus sancti, plus habet in occultis suis quam capiat hominum mens, quam possit sermo perficere, quam scribi membranis, quam totam cooptavit sibi ille qui condidit, ad nil aliud quam ad divina perstruens, ut Dei mater esset & filia, moribus exterioribus signabatur mirifice, ut ne quidem motus corporis exorbitaret à judicio rationis. Tota in se formosa erat, & tota in virtutibus & actionibus forma exemplar æterni exemplaris ut nil artificio cœlestis mysterij, exercendorum morum, capessendæ vitæ atq; agendæ inveniretur, quod non redderetur compossibile, atq; aptum in ædificio ascensionis in cœlum. Vitium nihil in ipsa vendicabat, virtus regnabat in pace, non habebat quod expugnaret: nec marcebat virtus ejus hoste sopito. Vivificæ virtutes infusionum fundentes potius quam acquisitionum, adhærebant ei ut præter illam internam intuitionem, qua Deitas videbitur quod sic est, communem siquidem quempiam in virtute insignem excederet viatorem.*

Beatissima proinde Virgo domus illa est dignissima, quam incarnando filio suo Pater cœlestis constructit: ea in eadem col-

locans quę oculos tanti hoſpitis & filij delectarent, vacuam enim eſſe non decebat, ſed excellentiſſime ornatam, ad quam talis hoſpes diverſurus, novemque menſibus imo ſemper inhabitaturus erat: *Felix* inquit *Doctor Mellifluus mulier cujus domus ſalvatori ſuſcepto inventa eſt munda quidem, ſed plane non vacua, quis enim vacuam dixerit quam ſalutat Angelus gratia plenam? neque hoc ſolum ſed adhuc quoque in eam ſuperventurum aſſerit Spiritum ſanctum, ad quid putas niſi ut ſuperimpleat eam?* Quod ſi quæras quæ qualiave ornamenta illa fuerint quæ in ea Pater cœleſtis Spiritus ſanctus depoſuit? reſpondet *Doctor Mellifluus ſerm. de domo Sap. ſeptem columnis eam ornatam fuiſſe, quas in ea Spiritus ſanctus excidit: Quid* inquit *eſt in ea ſeptem columnas excidere, niſi ipſam dignam ſibi habitaculum fide & operibus præparare? nimirum ternarius numerus ad fidem, propter ſanctam Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores, propter quatuor principales, cardinaleſque virtutes.* Quod autem in Beata MARIA ſancta Trinitas fuerit (fuerit dico per præſentiam majeſtatis) ubi ſolus filius erat per ſuſceptionem humanitatis paranymphus

phus ejus è cœlo missus contestatur dicens *Ave gratia plena, Dominus tecum*, & post pauca: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.*

Sic & virtutes cardinales, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam, earumque partes tam potentiales quam subjectivas magnanimitatem, humilitatem, castitatem, sobrietatem, abstinentiam, humilitatem in ipsa & gradu quidem heroico, absque imperfectionibus fuisse, præterquam quod in diversis supra locis ostensum est infraque ostendetur: pulcherrimis tamen suis verbis ostendit *Sim. Cassia loc. cit. Prudentibus cunctis* inquit *ipsa prudentior, dum præ omnibus id solum elegit quo melius inveniri nequit: præcavens quidquid esse potuit minimum ad offensam, adinveniens quidquid per rationem, & virtutem inhæsitanter placet. Justitia ex omni sui perfectione assistebatur, dum tota se reddidit ei, à quo tota in subjecto natura processit, & ei super omnem viatorem operata est gratia quam accepit, ex qua existens in vacuum non tenuit minimam sui partem. Fortis omnia vincens, à nulloque, victa, nec animo hebes ad opus decens impellebat*

corpus. Numquam mente fracta ex magnis rerum eventibus, in fide magna animis, in illa omnibus deficientibus non defecit. Hoc solum, sed sanctum & irreprehensibile habuit imbecille, quod in passione morteq; filij doloris gladio diverberata est. Fuisset enim severæ mentis non fortis, non fieri illius altissimi filij consociam passioni. Et audacter dixerim ipsam præ cæteris decebat acriore dolore perfodi, hoc enim amplioris cognitionis, & excessivi amoris ratio suadebat. Regula modestiæ tenebatur, ut nihil plus sibi, nec in omnibus, quam ordo juris pascebat adesset: Hæc ille.

§. 3.

GIllebertus *de Hoylandia Abbas*, super quem sicut super *Eliseum* spiritus *Eliæ* sic spiritus *Bernardi* quievisse videtur, comment. super hæc *Cant.* verba: *Reclinatorium aureum in ea collocavit*: per aurum divinam præsentiam intelligit in hunc modum differens: *In Libano* inquit *pulchritudo, in argento confessio, in auro divinæ conspectus præsentiæ tibi commendatur*: Et paulo post: *Ad aureum reclinatorium invitat, ubi Dominifacies sine velamento sincere videtur & in auro rutilat majestas regia.* Quod si igitur cum pijssi-

pijſſimo hoc auctore per aurum divinam præſentiam intelligere & interpretari voluerimus: liquido conſtabit Domum MARIANAM auream fuiſſe. Ubi enim magis præſens potuit eſſe conſpectus divinitatis, quam in utero virginis, ex quo ſibi carnem ſanguinemque pro humanitate aſſumpſit ipſa divinitas? Accedit adhæc quod MARIA quemadmodum ſentit *Abbas Guericus ſerm. 1. in Annunt.* ſit Thronus Regius per Thronum *Salomonis* auro fulvo veſtitum deſignatus: *In ipſa* inquit *& ex ipſa paravit ſibi thronum ipſa ſapientia, cum in ea & ex ea corpus aptavit ſibi, ita per omnia perfectum, & congruum, ut & Domus ei ſit ad quieſcendum, & thronus ad judicandum, quod primo fuit ei tabernaculum ad pugnandum, & cathedra ad docendum*: Nec minus ei congruere videtur quod ſequitur auro fulvo veſtitum thronum hunc fuiſſe: Profecto ſi interrogemus divinum illum *Dionyſ. Areopag.* convenientiſſimum hujus rei nobis præbebit teſtimonium: Ejuſdem enim ſplendorem, divinitatiſque ſimilitudinem indubie viderat cum diceret: *Teſtor Deum qui aderat in virgine, niſi me divina docuiſſent*

eloquia, hanc Deum verum credidissem; quoniam nulla videri posset major gloria beatorum, quam felicitas illa quam ego tunc degustavi. Tantus nimirum fulgor ab aspectu ejus virgineo & divinitate perfuso egrediebatur.

De reliquis hujus vere aureæ domus ornamentis plus loqui superfluum planè censeo, quilibet enim facile concipere potest qualibus esse debuerit ornamentis decorata domus in quam intraturus, corpore novem mensibus, spiritu vero æternum commoraturus erat, Rex Regum & Dominus Dominantium. Potest tamen ipsum aliquo modo à contrarijs probari, quia nimirum teste *Guerrico serm. 1. in Assumpt.* nihil in ea fuit quod eam dehonestare aut deturpare posset. *O Fili* inquit *Dei nihil in illo tibi displicuit hospitio, quod tam libenter repetit, tamq; affluenter remunerat tua dignatio: nihil utiq; in illo sordidum offendisti, quia nulla erat libido, sed purissima castitas: nihil ruinosum, quia nulla superbia, sed fundatissima humilitas: nihil obscurum, quia exclusa erat infidelitas: nihil angustum, quia diffusa erat charitas: adornaverat thalamum Virgo prudentissima, te Regem Christum non solum hospitem*

susce-

susceptura, sed & sponsum habitura: adornaverat inquam multiplici decore virtutum, & gloriæ, tanto fortassis locupletius, quanto interius totum erat: omnis namq; gloria filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus, domum enim Domini hujusmodi decebat sanctitudo & decor. Et hic decor eum invitavit ut intraret, illexit ut rediret: intrans benedictionem multiplicabat, sed rediens cumulabat, cum intraret homo natus est in ea, cum rediret Deus: glorificatus est in ea. Hęc auctor citatus. Sed jam ad alia properemus.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

Encomium Marianum *Trigesimum.*

FOEDERIS ARCA.

INæstimabilia fuere olim beneficia quibus populum sibi dilectum Israëlitas existentes adhuc in Ægypto sub Pharaonis Regis jugo, & postmodum inde egressos in deserto Deus affecit: præterquam enim quod per tot ostenta & prodigia eos inde eduxerit: Ægyptum tot plagis percutiendo, quarum tamen nulla attigit filios

Israël: præter hæc inquam egressis ipsis ex Ægypto mox præcessit tanquã viæ dux in columna ignis nocte, & nube per diẽ juxta effatum Psaltis Regij Ps. 77. *Et deduxit eos in nube diei & tota nocte in illuminatione ignis:* sed & mare rubrum coram eis divisit ut starent aquæ ad modum muri à dextris, & à siniſtris, ipsis illæsis transeuntibus: ægiptijs verò mox aquis involventibus ut nec superesset qui factum posteris nuntiaret: quin etiam toties pavit eos in deserto, jam cibum in cœlo confectum *manna* de cœlo eis pluens, asserente *Davide Ps. 77. Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo:* jam educenseis aquam de petra, carnium apponens & volucrum abundantiam: cunctosque Reges Chananæorum jebuseorum & gentium in circuitu existentium coram eis prosternens. Hæc inquam omnia & plurima alia eis collata beneficia superat: quod ipse inter eos habitare dignatus sit: dum *Moysi* mandavit *Exod. 25. facient* ait *mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum: Arcam de lignis Sethim compingite, cujus longitudo habeat duos semis cubitos, & deaurabis auro purissimo intus & foris, ponesque*

in Arca

in Arca testificationem quam dabo tibi. Grande inquam hoc & maximum beneficium totum tamen *in figura contingebat illis,* non enim Deus in Arca præsens, sed in ea teste *Apost. ad Heb. 9.* nihil aliud erat quam tabulæ *Moysis* digito Dei scriptæ, Manna & virga *Aaronis* quæ fronduerat: longe ergo, & in infinitum majus illud est beneficium dum in novo testamento non Arcam aliquam ligneam, aut ex lignis Sethim confectam, sed vivam præparavit virginem sacratissimam, in qua & per quam humana carne indutus habitaret unigenitus DEI: quam proinde jure merito Ecclesia salutat *Fœderis Arcam,* hæc est enim cujus ope fœderantur diu repugnantia, cujus inquam ope terrenis cœlestia, humanis divina junguntur: Hæc est teste *Ioan. Damasc. Sacra & animata Arca Dei, quæ suum in utero gestavit artificem.*

§. 2.

QUod si ad Etymologiam nominis *Arcæ* attendamus, ipsa quoque Virgini sacratissimæ congrue adapatur: *Arca* enim idem sonat quod *Arcana custodiens* vel quasi *auri custos* & secundum *Isidorum* dici-

tur ab arceo eò quod visum ab eo quod in ea occultatur arceat; potest etiam dici ab arcano quia *Arcanæ res occultantur in ea*: certe Virgo beatissima talis fuit Arca, quia nimirum præstantissimus ille auri thesaurus Christus Dominus, in quo teste *Salomone sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi*, in ea occultatus fuit. Amplius sicuti *Arca testamenti* à *Moyse* eo fine fabricata erat, ut in ea conservarentur leges in lapideis tabulis scriptæ : *Manna* quoque & *virga Aaronis*, quę floruerat: sic & in hac *Arca animata* quam Deus ipse fabricavit, juxta quod scriptum est *Ps. 86. Ipse fundavit eam altissimus* non figura, sed veritas, Manna divinitatis, anima Christi per tabulas lapideas , & caro ejus vitginea per virgam Aaronicam designata, continebantur. Arca quidem legem intra semetipsam habebat, MARIA verò Evangelium continebat, Arca Dei vocem, MARIA Dei verbum habebat : Illa auro intus foriſque hæc intus foriſque virginitatis splendore radiabat, hæc est enim Arca de qua scriptum est. Ps. 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ*. Hæc omnia hucusq; dicta pul-

cta pulcherrimis ostendit verbis *Mellifluus Bernardus*, simul hujus divinissimæ Arcæ excellentiam & dignitatem demonstrans: *serm. de B.* MARIA *tom. 5. mihi pag. 277. Arca* inquit *testamenti, typum tenet sanctæ Dei genitricis. Illam fecit Bezeleel istam condidit Emmanuel. Bezeleel Oliab in opere socium habuit, & virgo quoque virginum condita, præelecta, præservata, & ornata per Spiritum sanctum, & ejus omnipotentem filium fuit. Bezeleel interpretatur umbra Dei, Oliab protectio mea, prior ille Spiritus sancti, iste vero typum tenet filij Dei. Bezeleel ergo cum socio Arcam testamenti fubricavit, sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificavit, ac templum sanctissimum consecravit, hospitiumq; mundissimum sibi præparavit, thalamum quoq; de quo sponsus præ filijs hominum speciosus ad publicum produceret decenter præornavit. Pater ergo in consecratione virginis exhibuit claritatem, filius humilitatem, Spiritus sanctus charitatem. Pater lumen exhibuit rationis, filius cinerem humiliationis, Spiritus sanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, filius sapientiam, Spiritus sanctus omnium virtutum gratiam. Pater authoritatem contra peccatum,*

filius

filius humilitatẽ contra ſuperbiam, Spiritus S. charitatem erga Deum & proximum. Filius carnis mortificationem, Spiritus ſanctus compunctionem, Pater cæleſtium contemplationem. Filius eam docuit divina operari, Spiritus ſanctus amare & amari, Pater cæleſtia contemplari. Filius eam erudit, Spiritus eam provehit, Pater eam perficit, Filius eam purificat, Spiritus eam pacificat: Pater eam honorificat: Arca vero teſtamenti de lignis Sethim facta eſt: & MARIA *de ſponſo & hiſpido Iudæorum populo & arido procreata eſt, qui utique ſpinoſus detractione hiſpidus ſuperſtitione aridus fuit unctione gratiæ. Vnde ſpinoſus ſpineam coronam regi ſuo exhibuit, & in eum ſicut ignis in ſpinis exarſit. Sethim enim interpretatur ſpinæ. Ad commendationem verò gratiæ ſuæ, & ad deſtructionem humanæ ſapientiæ Deus de fœmina ſed Virgine deſcendente de ſpinoſa Patrum origine dignatus eſt carnem aſſumere, ut ſimilem ſimili redderet, contrarium contrario curaret, peſtiferam ſpinam evelleret, peccati chirographum potentiſſime deleret. De lignis ergo Sethim condita eſt Arca, in qua thuribulum manna & virga ſunt recondita, quia licet* MARIA *de Patrum natura per peccatum vitiata duceret originem,*

præle-

præelecta tamen per Spiritum sanctum, & præservata ad purum DEVM nobis obtulit & hominem.

Hucusque Doctor Mellifluus *Bernardus* tanta eloquentia, Arcæ mysticæ Virginis sacratissimæ dignitatem describens, ut quid illi amplius addi possit non videam.

§. 3.

SEd præter hæc omnia quæ Arcæ mysticæ conveniebant, & beneficia quæ Israëlitis intuitu *Arcæ fœderis* collata sunt, eadem etiam nobis at longe excellentiori modo conferuntur: utique ex paucis multis recensеamus, uti olim teste *sacra Script. Obededom* à Deo singulariter benedictus est, eò quod Arca in domo sua tribus solummodo mensibus quieviſſet: in tantum ut eam *David* ob causam eandem ad se in civitatem *David* reduci jusserit: ita & modo singulariter eos à Deo benedici qui Arcam mysticam, Virginem sacratissimam in scrinio & habitaculo pectoris sui per amorem reconditã habent, extra dubium est. Hæc est enim vera illa *Arca* ex qua, & per quam Dominꝰ nobis sicut olim *Moysi* ex Arca testamenti loquitur & nos solatur. Hęc

est

est *Arca* illa, quæ nos die nocteque quamdiu in hac peregrinatione versamur, præcedit, & veluti viam monstrat, tandemque ad terram promissionis lacte & melle manantem cœlestem beatitudinem deducit, deductosque suo dulcissimo aspectu lætificat. Hæc est illa *Arca* quam Dominus in sanctuario templi poni præcepit *Paral.* 35. quo templo nisi cœlestis illius *Ierusalem cujus Dominus templum est.* Hæc est *Arca* illa supra quam *propitiatorium* collocatum est, per quam nobis propitiatur Deus, & sine qua non est propitiatio, ut jure merito de ea asserat *Seraph. Bonavent. in Psalt. Mar. Ps. 136. Non invenitur propitiatio sine illa, nec salus sine fructu illius.* Et causam subdens: *Per illam* inquit *peccata purgantur, & per fructum illius animæ dealbantur: Per illam fit vera satisfactio de peccatis, & per fructum illius sanitas animæ condonatur.* Ipsam proinde inclamemus cum *Psalmista Seraphico. Apud te propitiatio est Domina, & propter nomen tuum Domina propitiaberis peccato meo.* Nec ambigo quin multo majorem gratiam amatores ejus per continuam recordationem exspectare habeant ab *Arca* MARIANA,

quam

quam olim à *Salomone* obtinuit *Abiathar*, ſacerdos propter portatam coram *Davide Arcam Domini*: Cum enim is propter conſpirationem contra *Salomonem* Regem cũ *Ioab* *Adonia* alijſque factam, mortis reus eſſet (jam enim ob eam cauſam interfici juſſi erant *Adonias Ioab*, illiſque ſimiles) nihilominus mortis ſententiam evaſit, eo quod portaſſet coram *Davide* Arcam Domini: ait enim ad eum *Salomon*: *Et quidem vir mortis es, ſed hodie non interficiam te, eo quod portaſti coram David Patre meo Arcam Domini Dei. 3. Regum 2.* Nimirum tantum valuit apud *Salomonem Arcæ fœderis* portatio, ut propter eam mortis promeritam ſententiam remitteret: quantò ampliorem gratiam obtenturos ſperamus eos, qui *Arcam myſticam* Virginem beatiſſimam quotidiano cultu venerantur, eamque jugiter portant: indubie evadent æternæ mortis ſententiam: *Non enim perire poteſt*, ut ait quidam pius author, *qui* MARIÆ *ſedulus cultor fuerit.*

§. 4.

AMplius ſicut olim obſidentibus filijs *Iſraël* civitatem *Ierichо* per ſolius Arcæ cir-

cæ circumlationem muri civitatis corruerunt: Mandaverat enim Deus *Iosue* ut *Arcam Dei* quotidie circumcirca urbem per sacerdotes deportari juberet& hoc diebus septem, septimo siquidem die muros civitatis seipsis corruituros,ac ita cuilibet dandam opportunitatem eos transcendendi: Paruit divino mandato *Iosue* & ecce die septimo dum *Arca* circumfertur, corruunt muri Jerichuntini. Idem contingit si Arcæ MARIANÆ seduli cultores & veneratores simus : Non enim possunt infernales illius hostis munitiones subsistere, Arca hac sese præsentante : Hinc exhortatur Virgini Matri cliens devotissimus *Ioan.Damasc. Iubilemus in Arca Domini, & muri cadent Ierichuntini,contrariarum inquam potestatum infestæ munitioues.* Imo quod amplius. Hæc sola est illa *Arca* qua datur nobis triumphare de hostibus infernalibus,sine qua nullus portum salutis attingere valet, ideoq; eam *Arcæ à Noë* fabricatæ comparaverit *citat. Bernard.* sicut enim extra Arcam *Noë*, in diebus diluvij non erat salus,sed omnes qui in ea non erant, aquis præfocari necesse fuit, sic quoque solos illos qui *Arcæ* MA-

RIANÆ

RIANÆ inhabitant eique firmiter per cultum & venerationem inhærent salvari alios omnes perire necesse est: non est inquit *Bonavent.* qui salvus fiat nisi per te: sed jam *Bernardi* verba audiamus: *Arca etiam Noë significavit Arcam gratiæ, excellentiam scilicet* MARIÆ: *sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium: sic per istam peccati naufragium. Illam Noë ut diluvium evaderet fabricavit: istam Christus (qui est pax nostra & requies) ut humanum genus redimeret sibi præparavit. Per illam octo animæ tantum salvantur: per istam omnes ad æternam requiem quæ per octonarium numerū significata est vocantur: per illam paucorum facta est liberatio: Per istam humani generis salvatio. Illa centum annorum fabricata est spatio: in ista omnium virtutum fuit perfectio. Ista facta est de lignis levigatis: ista de virtutibus ædificata est consummatis. Illa superferebatur aquis diluvij, ista non sensit naufragium ullius vitij.*

CAPUT VIGESIMUM. SEXTUM.

Encomium Marianum *Trigesimum Primum.*

JANUA COELI.

PRæconio præcedenti Virgo sacratissima *Arcæ fœderis* & *Noë* comparata fuit eò quod per ipsam tanquam *Arcam fœderis* inter cœlum & terram, Deus in carne humana pijssime assumpta inter nos habitare dignatus sit: tum etiam quia per eam à generali peccati diluvio tanquam mediatricem, & matrem mediatoris omnes liberantur quotquot liberantur, sicuti per Arcam solus *Noë* & filij liberati sunt, nec quisquam sine *Noë* generale diluvium aquarum, nec quisquam sine Arca MARIANA generale peccati diluvium evadere quivit: licet enim posset sine Virgine Matre nobis hæc beneficia conferre Deus; nequaquam tamen id facit, sed per eam veluti per cœlestem quandam canalem, omnia sua

sua ad nos beneficia manare voluit: ita *Bernard. serm. 2. Grali. de Virgine Deipara: Cæterum* inquit *quidquid illud est quod offerre paras,* MARIÆ *commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat quo influxit. Neque enim impotens erat* Deus, *& sine hoc aquæductu infundere gratiam prout vellet: sed tibi vehiculum voluit providere. Forte enim manus tuæ aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti. Ideoq; modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis* MARIÆ *manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sunt, nec causabitur ille liliorum inter lilia non inventum, quidquid illud sit quod inter* MARIÆ *manus invenerit:* Hucusque virgineo lacte potatus *Bernardus:* Ex quibus liquido constat quidquid *præced. Cap.* paucis demonstravimus ipsam Arcam esse per quam liberantur & salvantur omnes: ut ideo jure merito (quod in præsenti demonstrandũ est) ab Ecclesia *Ianua & Porta* non materialis sed spiritualis *cæli* cõsalutetur. Ipsa etenim verissime janua & porta est, per quam tot

milleni, & propemodum infiniti peccatores desperatissimi, cœlestem beatitudinem adierunt, alioquin inferni ignibus adjudicandi, imo aliquando adjudicati. Et hæc veritas tam clara & ab omnibus sanctis Patribus recepta est, ut eidem inhærere & id probare velle, sit soli facem admovere: nihilominus paucis demonstratur.

§. I.

Dionys. Carthus. dum commentatur in *Cap. 8. Cant.* disertis verbis eam portam & ostium esse per quod ad cœlum & Deum nobis pateat aditus asserit: explicans siquidem verba: *Soror nostra parvula est, ubera non habet quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est, si murus est ædificemus super eum propugnacula, si ostium, &c. Vtique* ait *ostium fuit divinissima Virgo, per quam Salvator venit in carne assumpta ad genus humanum, & per ipsum omnes accessum habemus ad Salvatorem & judicem nostrum tanquam per pijssimam portam omnibus patulam & apertam.* Et sicut *Christus est Deus noster & misericordia nostra, sic ipsa est Mater & Domina nostra, misericordiæ janua: ut merito in eam quadrent verba Patriarchæ Iacob, verè*

hæc est

hæc est domus Dei & porta cœli per quam omnes introitum habent ad vitam : juxta quod dictum est ab ea, qui me invenerit inveniet vitam & hauriet salutem à Domino : Beatus proinde qui vigilat ad fores meas quotidie & observat ad postes ostij mei. Sed& *S. Anton. Episc. Florent. 4. cap. tit. 15. cap. 20. cum 12.* Quasi ex uno cum *Bernardo* ore loquens eam cœli portam ac januam asserit ob duplicem causam : Primo quidem quoniam per eam exivit è cœlis quidquid unquam gratiæ exivit in mundum : Secundo quidquid boni de terris intravit in cœlum (ut sancti omnes) per ipsam ut portam intravit. Conformiter ad mentem & verba *S. Bernardi serm. Grali. de Virgine Deipara : Altius* inquientis *intueamini quanto devotionis affectu à nobis eam voluerit honorari qui totius boni plenitudinem posuit in* MARIA, *ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit delitijs affluens.* Porta ergo cœli merito dicatur per quam è cœlo descendit humanam que carnem assumpsit unigenitus patris, *Porta* inquam *orientalis Ezechieli* in visione præostensa: unde *Anonymus* Virginem sacratissi-

mam alloquens: *Tu palam* inquit *designata es porta solis ex alto progressi, tu thronus excelsus, tu scala sublimis & ad cœlum usque porrecta, per quam Christus à nævis omnibus libera Virgo descendit, cumq; mortalibus in exilium pulsis agere vitam incepit.* Et S. *Hieron. lib. 1. adverſ. Iovin. tom. 2. Hæc est* ait *porta orientalis ut ait Ezechiel semper clausa, & lucida operiens in se & ex se proferens sancta sanctorum per quam sol justitiæ & Pontifex noster ingreditur & egreditur.*

§. 2.

ET quidem Virginem sacratissimam per *portam* illam *Ezechielis 44.* fuisse præsignatam quilibet textum inspiciens facile cognoscet: sic enim habet *& convertit me* inquit *Propheta ad viam portæ sanctuarij exterioris quæ respiciebat ad orientem & erat clausa: & dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transiet per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam erit q; clausa principi.* Quem locum etiam Virgini sacratissimæ convenire monstrat *S. Ambr. in lib. cui titulus institut. Virg. cap. 7. Porta hæc clausa erit, &c. Quæ est* inquit *hæc porta nisi* MARIA *? ideo*

clausa

clausa quia Virgo. Porta igitur MARIA, *per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu virginitatis claustra non solvit, sed inviolatæ integritatis duravere signacula: cum exiret ex Virgine cujus altitudinem mundus sustinere non potuit. Hæc porta clausa erit & non aperietur. Bona porta* MARIA *quæ clausa erat & non aperiebatur: Transivit per eam Christus, sed non aperuit, in qua sedit Christus & exivit, eritq; post transitum Domini clausa. Hæc porta respiciebat ad orientem quoniam verum lumen effudit, quæ generavit orientem peperitq; solem justitiæ. De ea dictum est ad Ecclesiam, quoniam confortavit seras portarum tuarum, & suam portam confortare non posset? sed confortavit profecto & servavit intactam, quam semel clausit sanctus & verus qui habet clavem David, qui claudit, & nemo aperit.* Hucusq; *Ambros.* quem è vestigio sequitur ejus per fidem & doctrinam Christianam filius *August. Facta est* MARIA ait *fenestra cæli, quia per ipsam Deus verum fudit sæculis lumen. Facta est* MARIA *scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit in terram, ut per ipsam homines ascendere mereantur in cælum. Facta est*

MARIA *restauratio fœminarum, quia per ipsam à prima maledictionis ruina probantur esse subtractæ. Dicat Virgo* MARIA *porta facta sum cœli, facta sum filio Dei. Illa porta facta clausa quam in visione divina Ezechiel vidit Propheta.* MARIA *enim semper erit intacta Virgo in partu, & Virgo post partum. Qui natus de ventre meo me Matrem dimisit intactam adimplevit ventrem meum divinitate, & uterum meum non evacuavit castitate.* Et ut bene inquit *Rupertus lib. 3. de divinis officijs cap. 13. Maxima portarum cœli quas Dominus ut hoc manna scilicet filium suum plueret nobis aperuit,* MARIA *exstitit: per quam ad nos verbum caro factum de cœlo descendit : Hæc verbum illud ita plena gratia concepit: ut visibilem hominem factum pareret in veritate carnis eodem spiritu sancto, & per ora Prophetarum verbum hoc eloquente, & conceptionem ejus in utero Virginis operante.*

§. 3.

SEd inter hæc difficultas occurrit ex verbis Prophetæ *Ezechielis : Si porta* MARIA dicet aliquis cur clausa? quæ nobis erit in hac porta utilitas, quod solatium, si non datur nobis sed soli principi introitus

ad, &

ad,& per eam: sed non est quod tristemur. Est enim MARIA *porta & clausa & patens*, clausa principi, patens pecatoribus, clausa contra violationem, patens ad intercessionem: imo ideo patens peccatori ad se confugienti, quia clausa principi, seu quia mater Dei: per hoc enim meruit ut quidquid gratiæ, quidquid consolationis, quidquid salutis est in nobis, per eam tanquam per portam, per mediatricem, & canalem ad nos derivetur: & ita per eam ad beatitudinem cœlestem, à qua per *Evæ* peccatũ exclusi eramus, redeam⁹: *Ab ore enim ejus pendet* teste *Bernardo serm. 4. sup. miss. consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, & salus universorum filiorum Adam.* Assidue proinde ad hanc cœli portam, orationis clavem dirigamus ut se nobis reserare,& ad cœlestem beatîtudinem introitum gratiosè concedere dignetur: jam enim advertistis cum Doctore mellifluo *serm. 2. in Adv.* ni fallor quoniam *Virgo regia ipsa est via, per quam Salvator advenit, procedens ex ipsius utero tanquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam studeamus, & nos dilectissimi ad ipsum per eam ascendere,*

qui per ipsam ad nos descendit, per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad filium ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ mater salutis: ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Fac ô benedicta per gratiam, quam inveniſti, per misericordiam quam peperiſti, ut qui te mediante dignatus est fieri particeps infirmitatis & miseriæ nostræ: te quoque intercedente participes nos faciat gloriæ, & beatitudinis suæ IESVS Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in sæcula, Amen.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Encomium Marianum *Trigesimum. Secundum.*

STELLA MATUTINA.

VIrginem sacratissimam stellam esse fusius ostendimus cum dulcissimum nomen ejus quod est MARIA explicavimus: idque tum quod nomen illud interpretetur

pretetur *Maris ſtella*, tum etiam quia proprietates *Maris ſtellæ* ad quam ſe navigantes dirigere ſolent optime eidem conveniunt ut in *tit. 1.* SANCTA MARIA videre licet: ſed præter rationes ibidem aſſignatas alias adducit Doctor mellifluus: *Ipſa namq;* (ait *Hom. 2. ſuper miſſ.*) *aptiſſime ſyderi comparatur, quia ſicut ſine ſui corruptione ſydus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo parturit filium. Nec ſyderi radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini filius ſuam integritatem. Ipſa eſt igitur nobilis illa ſtella ex Iacob orta, cujus radius univerſum orbem illuminat, cujus ſplendor & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipſa inquam eſt præclara & eximia ſtella, ſuper hoc mare magnum ſpatioſum neceſſario ſublevata, micans meritis illuſtrans exemplis.* Hucuſque *Bernardus.*

§. I.

AMplius Virginem ſacratiſſimam Maris eſſe ſtellam ex alijs adhuc principijs & cauſis oſtendit inter primos *S. Ignatij Societ. IESV* inſtitutoris diſcipulus *Alphonſus Salmeron* ſiquidem verba Evangelij &

nomen

nomen Virginis MARIA exponens dicit hoc ipsum nomen significare, & interpretari *Maris stellam: Quinto ergo* ait *fuit stella maris in Assumptione sua, in qua non longe à Christo abest: Quod revera author ipse sine evidenti ratione dixit siquidem si Philosophis credimus non stellæ solum, sed & omnes planetæ, quin & inter planetas post solem nobilissima luna cœli, & militia cælorum ob hoc sæpius in Prophetis nominata Regina, licet sint corpora nobilissima & nobis appareant lucidissima : omne tamen suum à sole lumen debent mutuare, miserrimæ procul dubio & tenebrosissimæ futuræ, si non benigno ejus aspectu potiantur & luce perfundantur. Sic ergo & Virgo benedicta: licet omnes stellas omnesque planetas seu omnem cælorum exercitum luce sanctitatis longe antecellat, Regina cælorum & Imperatrix verius nuncupata: omnem tamen suum ab ipso sole justitiæ Christo omnis luminis & splendoris fonte manare videt splendorem & lucem:* Quia non longe à sole Christo abest: quanto enim magis hujus solis splendorem, influxum, & illuminationem participat tanto decet eam huic soli esse propinquiorem. Prosequitur autem author citatus : *Nam ut Lucifer solem*

mane

mane antecedit & Hesperus sub vesperam solem consequitur: ita MARIA *ante incarnationem solem justitiæ Christum præcessit ut Lucifer, assumptum in cœlum subsequuta est ut Hesperus in Assumptione sua. Hæc autem stella maris à quibusdam polaris dicitur, quod si verum est, stella hæc habet locum supremum in Hemisphærio nostro, atq; ita super omnes Angelos & beatos exaltata est. Habet immobilitatem in situ, cum cæteræ stellæ moveantur. Nam cum B. Virgo consummatam gloriam possideat corpore & anima quietem habet. Cæteri Sancti etsi alioqui beati, corporum suorum resurrectionem exspectantes, nondum plene quieti sunt: Habet hæa stella volubilitatem in ambitu suo, licet locum mutare non videatur: ita* MARIA *motum perfectæ circa nos charitatis habere dignoscitur. Habet attractionem quia secundum Philosophos antiquos propterea terra in centro immobilis manet, quia polus arcticus eam tenet ne cadat, antarcticus ne surgat, atq; ita* MARIA *suis precibus retinet, ne mundus peccatorum mole in abyssum præcipitetur. Habet hæc stella directionem in suo ductu; nam dirigit navigantes ut perveniant ad portum, & ita Mater Messiæ in omni periculo nobis succurrit, ut ad*

portum

portum gratiæ DEI, vel vitæ æternæ perveniamus. Hæc stella aspectui nostro minima est inter omnes; ita ipsa humillima, minima, & in oculis suis ut dici solet invisibilis, sed quo magis humiliata est seq; ipsam exinanivit: eo magis à DEO illustrata est, & reddita glorioſior. Habet illa septem alias stellas notabiles, quæ volvuntur circa eam, quæ propterea dicuntur septentriones: & MARIA *septem Angelos supremos, & assistentes habet, qui ejus nutui & imperio obedire, glorioſum sibi ducunt. Hinc Apocal. 1. dicitur: & à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt. Etsi enim sermo sit de DEI throno, proxima tamen ejus dexteræ assistit B. Virgo, de qua scriptum est: astitit Regina à dextris tuis, &c.* Hucusque auctor citatus.

§. 2.

SEd & si alias stellæ materialis proprietates, & prærogativas ac excellentias perfectius aspiciamus, easque stellæ mysticæ, Virgini inquam Deiparæ adaptemus: merito eam ab Ecclesia, & *Maris stellam* & *stellam Matutinam* nuncupatam reperiemus.

Primo equidem stellarum substantia ita solida est, & firma, quod nec vetustate corrum-

corrumpitur nec putredine emollitur, nec aliquo casu dissipatur: & inde est quod stellæ à stando, sic dictæ sunt. Jam stellam mysticam intueamur, certe si ulla unquam stella firma, solidaque fuit, ipsa est: quam nulla unquam vetustas corrumpere, nulla putredo emollire, nullus dissipare casus potuit: In justitia enim & sanctitate firmissime super omnes alias stellas, & sanctos radicata fuit, ita ut ad culpam ullam vel venialem, vel mortalem numquã ab ullo inflecti potuerit, in cœlo enim justitiæ & sanctitatis ita radicata fuit, ut ab eo numquam per ullam culpam avelli potuerit: & de ea optime verificari potuit, quod de justo scriptum est: *Iustus in justitia permanet ut sol.*

Secundo stellarum est continuo in hæc inferiora diffundere qualitates, & influentijs suis orbem quasi in esse conservare: subtrahat enim stellarum in hæc inferiora quis ad modicum tempus influentias videbit quam brevi temporis spatio vigorem suum sublunaria amittent, omnis generationis successio cessabit, & omnia ad interitum vergent: eundem in nos qui in hujus mundi domicilio versamur effectum habet

bet ſtella myſtica, tanta eſt enim noſtra ab hac ſtella dependentia, tanta qualitatum & influentiarum ejus indigentia, ut ſi ad modicum pietatis ſuæ viſcera à nobis occluderet, in miſerrimum ſtatum redigeremur, meminerimus verborum *S. Anſelmi, quemadmodum impoſſibile eſt ut is à quo tu Virgo ſacratiſſima oculos tuæ pietatis avertis, ſalvus fiat, neceſſe eſt ut pereat: ſic impoſſibile eſt ut pereat, ad quem oculos tuos convertis exorans pro eo, neceſſe eſt ut ſalvus fiat. Et Seraph. Bonavent. Quemadmodum infans ſine nutrice non poteſt vivere, ita nec ſine Domina potes habere ſalutem.* Et iterum, *quibus auxiliata fueris Domina erit refrigerium pacis, & à quibus averteris vultum tuum non erit eis ſpes ad ſalutem.* Hinc & *S. Bernardus* ut ſtellæ hujus myſticæ influentiarumque ejus in hæc inferiora neceſſitatem omnibus ob oculos ponat: *Tolle* inquit *corpus hoc ſolare quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle* MARIAM *hanc maris ſtellam, maris utique magni & ſpatioſi, quid niſi caligo involvens: umbra mortis & denſiſſimæ tenebræ relinquuntur.*

Tertio ſtellæ ſummum decorem habent in aſpectu, ita quod ſumme delectabile eſt

bile est ipsas videre & hoc præcipuè ob lucem & splendorem quem emittunt, qui non est solum ab extrinseco, sed etiam ab intrinseco: stella enim non solum splendet exterius quantum ad apparentiam, imo etiam & intra in substantia: habet enim stella substantiam perviam ac diaphanam, quæ à solis radijs penetratur, qua intus sicut exterius illustratur. Habet & eandem prærogativam stella mystica, quod nimirum summum habeat in aspectu decorem, in tantum quod summum habent beati in cœlis ex ejus intuitu gaudium, & delectationem majorem quam humana mens capere possit: ut fusius in Encomio *Mater amabilis* ostendi, lucetque hæc stella mystica non solum exterius, per exemplarem ac sanctissimam summeq; ædificatoriam conversationem propter hoc speculum exemplar & prototypon omnis justitiæ & sanctitatis merito appellatum: sed & interius, eo quod omni virtutum excellentia, & decore resplendeat juxta cælestis sponsi de eadem effatũ: *Cãt. 4. Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es: oculi tui colũbarũ, absq; eo quod intrinsecus latet. Cant. 4. Et Psalm. 44. Omnis*

gloria filiæ Regis ab intus. Ut jure sibi vendicare possit Virgo sacratissima verba Apocalypseos *Ego sum genus & radix David stella splendida & matutina.*

§. 3.

SAt fuse ut reor Virginem sacratissimam *stellam & stellam maris* ab Ecclesia & Doctore mellifluo salutatam demonstravimus, supereſt ut paucis itidem causam cur *stella matutina* appelletur insinuemus. *Ecclesiasticus IESVS filius Syrach* summi sacerdotis *Oniæ filij Simonis* prœconia & laudes recensens: *Eccl. 50. Quasi stella matutina* ait *in medio nebulæ & quasi luna plena in diebus suis & quasi sol refulgens sic iste effulsit in templo Dei.* Magna prœconia; quæ multo majori jure de Virgine superbenedicta verificentur: & hinc reor Ecclesiam idem præconium desumpsisse & Virgini sacratissimæ adaptasse. Et convenientissime: ipsa equidem in Nativitate sua *stellæ matutinæ* vicem subijt: etenim uti *Lucifer stella matutina* finis est præteritæ noctis, & advenientis diei principium: ita beatissimæ Virginis Matris Nativitas finis exstitit tenebrosæ noctis tristitiæ & initium sereni diei humanæ læ-

næ lætitiæ & exultationis: totum siquidem tempus tot anteactorum sæculorum ab *Adamo* ad Nativitatem Virginis usq; obscurissima fuit nox, propter gravissimorum peccatorum caliginem sic affirmante *Hugone de S. Victore, serm. 34. totum namq; tempus* ait ille *quod ab Adam usque ad ortum Virginis præcessit quasi nox exstitit, nox longa & obscura: Ps. 103.* hãc ergo, de qua olim *Ps. Reg. posuisti* inquiens *tenebras & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ*, terminavit *stella* illa *splendida & matutina* eo quod veluti prænuntia exoriturum in brevi solem justitiæ, qui radijs suis omnes prorsus tenebras depelleret, indice quasi præsignavit. Et sicuti cum nata est terminavit noctem peccati, ac legis antiquæ, ita adhuc quotidie à dilectis suis invocata, terminat noctem angustiæ, & adversitatis, ut merito cum Doctore mellifluo millies inclamare liceat: *Si insurgunt venti tentationum, respice stellam, voca* Mariam, *non recedat ab ore, &c.*

CAPUT VIGESIMUM. OCTAVUM.

Encomium Marianum *Trigesimum Tertium et Quartum.*

SALUS INFIRMORUM. REFUGIUM PECCATORUM.

CONjungo utrumque hoc Encomium ob utriusq; non solum similitudinem sed identitatem: quis enim magis infirmus quam peccator? nec infirmus solum, sed spiritualiter mortuus, utpote à quo vita animæ DEUS abcessit, viresque omnes ad bonum faciendum enervatæ, aut saltem ita debilitatæ sunt: ut merito quivis peccator præfiguratus dici possit in homine illo Evangelico ab *Hierusalem in Iericho* descendente, & à latronibus in via toto vulnerato & semivivo relicto: cui nimirum intellectus ignorantiæ, voluntas malitiæ, appetitus concupiscibilis concupiscentiæ, & denique irascibilis infirmitatis vulnere sint sauciati, ut de eo verificari queat quod de salva-

salvatore in carne passo prophetice dixit *Isai. cap. 1. à planta pedis, usq; ad verticẽ capitis, non est in eo sanitas*: Hujus ergo infirmi salus & medicina, hujus refugium & solatium est Virgo sacratissima, quam mellifluus *Bernardus* peccatorum scalam, & unicam rationem spei nostræ appellat: & ejus in peccatores pietatem declarare volens: *Tu* inquit *serm. Panegyr. peccatorem quantumvis fœtidum non horres, non despicis si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum à desperationis barathro pia manu retrahis, foves nec deseris, quousque horrendo judici miserum reconsilies.* De his jam paulo fusius discurramus.

§. I.

PLantaverat DEVS paradisum voluptatis ab initio Gen. 2. in quo posuit hominem, quem formaverat: produxit quoque Dominus DEVS de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio paradisi: lignum vitæ, Sic dictum quia erat arbor excellenter vivifica, cujus fructus vel semel degustatus vitam hominis ad plures centenos annos prorogasset: idque vi naturali sibi à DEO insita; & subinde

repetitus prorogasset etiam in æternum: neque solum reddidisset hominem longævum sed sanum, valentem ac robustum, à morbis, à languore, à tristitia & melancolia immunem, habebat enim vim non modo nutritivam, sed & medicam præ omnibus pharmacis, qua & substantia corporis & vires nutritivæ, & calor naturalis integre restauratus fuisset: eratq; hæc arbor summe necessaria cum enim constet homo qualitatibus contrarijs humiditate, siccitate, calore, & frigiditate continuo contra se agentibus se se debilitantibus, ac ita ad cortuptionē naturam redigentibus: necessarium erat per fructum ligni vitæ restaurari quod calor naturalis absumpserat, & bellum continuum debilitaverat: Certe in Ecclesia horto voluptatis suæ, non absimilem arborem & lignum vitæ plantavit DEUS Virginem inquam sacratissimam: lignum dico & arborem excellenter vivificam, cujus fructus vel semel degustatus spiritualem hominis vitam ad plures centenos annos prorogare poterat vulnerum insuper & morborum animæ curativam, *lignum enim vitæ est omnibus apprehendentibus*

dentibus eam: & jure à *S. Bernardo* salutetur *O verè cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis, O vere lignum vitæ, quod salum fuit dignum portare fructum salutis.*

Varios, imo penè infinitos morbos corporis incurrunt homines: alius capitis, alius dentium gravissimos patitur cruciatus: ille apoplexia, iste laborat Hernia: alius calculo, alius ventris defluxiones patitur: ille podagra, ille febri, alius denique alio laborat morbo. Nec minores aut pauciores spiritualis & interior noster homo patitur: dum hic superbia tumet: ille avaritia: alius luxuria, quartus laborat avaritia, æmulatione, ambitione & infinitis similibus morbis: vis tantis morbis remedium salutare? ad MARIAM tanquam medicam salutiferam recurre. Herbam *panaces* omnibus morbis vim remediativam afferre, & in se continere. medici asserunt: similem in virgine superbenedicta advertit & observat medicus animarum *Bernardus O quisquis* inquit *te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quam super terram ambulare: ne avertas oculos tuos à fulgore hujus syderis, si non vis obrui procel-*

procellis, si insurgunt venti tentationum, si inturras scopulos tribulationum, respice stellam, voca MARIAM, *si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam voca* MARIAM, *si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam concusserit mentis: respice ad* MARIAM, *si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abyssо: cogita* MARIAM: *in periculis, in rebus dubijs, in angustijs,* MARIAM *cogita,* MARIAM *invoca; non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres orationis ejus suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras: ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis.* Hæc ergo est quæ quævis vulnera animæ nostræ curare, suoque nobis adiutorio succurrere non solum potens, sed etiam præsto est: semper ad hoc parata, modo eam vero cordis affectu invocemus, unde *S. Bernardus* omnes ad sinum misericordię illius invitans: *Quid* inquid *ad* MARIAM *accedere trepidet humana fra-*

na fra-

na fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, offerens omnibus lac & lanam. Revolve diligentius Evangelicæ historiæ seriem universam, & si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in MARIA *de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Omnibus omnia facta est, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi. Captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam; filij persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus.* Ut jure quoque merito dixerit *Seraph. Bonav. Ipsa enim medetur contritis corde, & refovet eos unguento pietatis.*

Nec solum animarum nostrarum medetur vulneribus, quin etiam mortuos & quodammodo in peccatis sepultos, & jam quasi quatriduanos, *Lazaros* fœtentes, è sepulchro & tumulo ad vitam gratiæ revocat. Confirmat id *S. Bonav. Ps. 13. Tuo* inquit *tactu lenissimo sanentur infirmi, tuo odore roseo mortui reviviscunt*: Matris viventium nomen longe majori jure quam *Eva* olim

indepta. *Eva* enim illa ut ait *Abbas Guericus serm. 1. de assumpta in cœlum Virgine: vetus, non tam mater quam noverca: quæ filijs ante propinavit præjudicium mortis, quam initium lucis; dicta est quidem mater cunctorum viventium, sed inventa est verius interfectrix viventium, seu genitrix morientium: cum suum generare nihil aliud sit quam mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum,* MARIA *implevit mysterium, quæ & ipsa sicut Ecclesia cujus forma est mater omnium ad vitam renascentium, mater siquidem est vitæ qua vivunt universi, quamdum ex se genuit nimirum omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodo regeneravit.*

§. 2.

LIcet autem omnes in hac Virgine superbenedicta virtutes admiremur, & diligam°: summa tamẽ imo infinita est ejus in peccatores benignitas, pietas, & misericordia, qua omnes quibusvis etiam criminibus obnoxios ad se confugientes non solum benigne recipit, sed etiam ad se allicit, & quodammodo trahit: sapit miseris nobis dulcius, magis nos recreat & afficit: Quis enim in ea speravit & confusus est? quis e-

jus au-

jus auxilium corde sincero invocavit, & experтus non est? quis ad eam in suis necessitatibus & afflictionibus confugit, & repulsam passus est? nemo credo: hinc merito *Doctor mellifluus serm. 4. in Assumpt. sileat* inquit *misericordiam tuam Virgo beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui in cæteris virtutibus tuis congaudeamus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur; sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. Quis enim misericordiæ tuæ latitudinem, longitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis, latitudo ejus replet orbem terrarum: ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra, sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cælestis Hierusalem: exspectantibus miseris, vita perdita data. Sic prudentissima & pijssima*

chari

charitas & affectu compatiendi, & subveniendi abundat affectu æq; locuples in utroque : Ita *Bernardus* : Et quidem tanto suavior Virginis sacratissimæ misericordia quod nullum habeat annexum rigorem divinæ justitiæ: ejus & Dei filius misericors, sed & justus est *Davide* attestante *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine, Ps. 100.* nõ ita in matre: cui ita communicata à filio misericordia, ut absit longe ab ea rigor justitiæ: misericordiæ Mater merito ab Ecclesia salutata.

Aquas marinas salsas, imo salsissimas usuique humano ineptas esse experientia norunt, qui mare transfretarunt: ut tamen ab ijs tollatur salsedo natura invenit remediũ: ut impleatur vas arena, si aquæ maris, per illud distillentur mox perdituras salsedinem, humanoque usui qualificandas: addit insuper *Plutarchus lib. de provident. animal.* si aqua jam dicta purificetur in vase quodam ceræ vitgineæ , transmutaturas mox amarorem in saporem , insulsitatem in dulcedinem , adeò quidem ut jam non marinam sed suavissimam sapiat aquam. Amarissimus erat olim in lege veteri Deus, idque ob innumera hominum scelera

pereat

pereat Samaria ait *Oseas Proph. quoniam ad amaritudinẽ provocavit Deum suum & David Ps. 105. iratus est furore Dominus in populum suum & abominatus est hæreditatem suam*: adeo quidem ut ex vastissimo illo pelago non nisi salsissimæ & amarissimæ emanarent aquę punitionum & flagellorum *Moyse* Deo pro attestante *ignis succensus est in furore meo & ardebit usq; ad inferni novissima, devorabitq; terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet : Deut. 32.* Sed quamprimũ amarissimum illud mare intra vas ceræ virgineæ uterum videlicet B. Virginis inclusum fuit, mox naturam mutavit, & amarorem pristini rigoris, & justitiæ, in mel dulcissimæ misericordiæ commutavit: ad quod alludens *Esdras lib. 4.* secundum *Vatabli* translationem : *Mulier* inquit *portentum pariet & in dulces aquas salsæ mutabuntur* : quasi diceret muliere, seu virgine quod summum est portentum, & prodigium DEUM pariente, aquæ salsæ & amaræ divinæ justitiæ, in dulces mutabuntur, & melleum quendam saporem induent.

§. 3.

§. 3.

DE *Rhinocerote* scribunt naturalistæ, quod tantæ sit fortitudinis ut nullas humanas aut animalium vires reformidet, tantæ in cursu velocitatis, ut eundem à cursu remorari quodammodo sit impossibile: una tamen industria superari & à cursu sisti potest: si ei obviam posueris speciosam, & puram quandam Virginem: mox enim ut eam conspexerit omnem mox arrogantiam ponet, & ingenitæ suæ feritatis oblitus in ejus se sinu reclinans totus mansuescet, ab eaque se ligari & quocumq; ipsa vult duci permittet: Deum in veteri testamento terribilem, & si sic loqui liceat ferocissimum fuisse indubitatum est, quem tot fortissimi venatores, armis precibusq; suis nec à rigore justitiæ, nec cursu retardare potuerunt, ut de eo merito inrelligas dictum *Iob. 39. Numquid volet Rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?* nimirum fortitudo ejus similis Rhinoceroti: ac proinde per modum Rhinocerotis eum ligari capi & duci oportebat: sic stitit eum à cursu & ferocitate Virgo immaculata Davidica stirpe progenita: per incarnatio-

nem

nem sinu suo virginali excipiens, & corona cinguloque humanitatis circumligans: ita *S. Thomas à Villa nova, serm. 4. de Nativ. Domini: quid filio Dei similius quam filius unicornium? captus & ipse est amore virginis, & majestatis oblitus carneis vinculis irretitus*: unde in *Cant.* clamat *averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt*: Accidit ei quod soli zodiacum percurrenti solet: hic enim signum leonis attingens totus ferveſcit: radiosque igneos, & quasi intolerabiles emittit: at signum virginis appropinquans, radios benignos & temperatos exhibet: sol justitiæ Deus noster, similem in agendo modum observat: in veteri siquidem lege quasi in signo leonis existens ardentissimos justitiæ suæ radios emittebat, asperrime peccatores castigans: at signum Virginis virginalem inquam uterum ad è purissimis ejus sanguinibus corpus sibi præparandū intrans: mox totus in peccatores evasit benignus, suavis & misericors.

§. 4.

OLim ab arcana Dei curia, ab edita justitiæ sententia, nulla fuit appellatio: in mundo inter varias lites, si quis in una curia

curia litem perdat, & adhuc novam juris aut facti causæ suæ probationem habeat illi ad ulterius tribunal appellare licet, donec tandem ad Imperatoris judicium aulicum aut Cameram Spirensem deventum fuerit: si ibi contra aliquem feratur sententia ulterior appellatio (nisi forte ad judicem male informatum melius informandum) cessat: ita quoq; olim in divina curia agebatur: at jam ulterior ad solium gratiæ, ad tribunal misericordiæ, à justitia ad misericordiam appellatur: nunc superexaltat misericordia judicium: ad virginem inquam superbenedictam cui commissum misericordiæ regnum: dulcissime proin ac affectuosissime peccatores quoslibet ad eam recurrendam invitat lacteus *Bernardus: Totis ergo* inquit *medullis cordium totis præcordiorum affectibus & votis omnibus* MARIAM *hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui nos omnia habere voluit per* MARIAM. *In omnibus siquidem & per omnia prouidens miseris, trepidationem nostram solatur fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad patrem verebaris, accedere solo auditu territus, ad folia fugie-*

fugiebas, IESVM tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem patrem filius talis obtineat? exaudietur utiq; pro sua reverentia: Pater enim diligit filium. An vero trepidas & ad ipsum? Frater tuus est & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem MARIA *dedit, sed forsitan & in ipso majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipsum? ad* MARIAM *recurre, pura siquidem humanitas in* MARIA, *non modo pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim exaudietur & ipsa pro sua reverentia. Exaudiet utiq; matrem filius, & exaudiet filium pater, filioli hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? potestne filius aut repellere aut sustinere repulsam, non audire aut non audiri filius potest? neutrum plane: invenisti* ait *Angelus gratiam apud Deum. Feliciter semper hæc inveniet gratiam, & sola est gratia qua egemus.* Hucusque ad verbum *Bernardus* hac ergo tam humanissima invitatione tracti, cum eodem Doctore mellifluo ipsam hanc beatissimam Matrem ex intimis cordium me-

dullis inclamemus : *Per te accessum habeamus ad filium ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te nos suscipiat qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas tua Deo grata, nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum, Domina nostra, Advocata nostra, mediatrix nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repræsenta. Fac ô benedicta per gratiam inveniſti, per misericordiam quam peperisti: ut qui te mediante dignatus est fieri particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ : te intercedente participes nos faciat gloriæ & beatitudinis suæ IESVS Christus filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Amen.*

§. 5.

SIcuti in veteri lege pro criminosis homicidis ac mortis reis, decretæ sunt civitates refugij, ut qui ad eas confugissent ab omni mortis metu liberi essent: quemadmodum etiam ij, qui ad Altaris cornu in tabernaculum fœderis confugissent, omni

metu

metu exempti erant: uti & in nova lege si quis ad templum aut cæmiterium confugerit nequaquam inde extrahi & puniri potest: sic beatissima semper virgo MARIA unica est illa civitas refugij ad quam si peccatores multisq; obnoxij criminibus confugerint, æternæ damnationis sententiam indubie evadent. *Perire nequit qui* MARIÆ *sedulus cultor fuerit* : Ipsa enim suos omni studio protegit, tuetur ac defendit: sciens propter eos se ad tantam dignitatem perveniſſe, ut merito eorum patrocinium suscipere debeat. Et ob hanc causam reor eam ab æterna sapientia *Platano* comparatam esse. De *Platani* natura scribens *Plinius lib. 2. hist.* natural. dicit *quod folia in forma scutorum proferat: de Platano autem accepimus quod in scutorum formam elatas habeat frondes:* Igitur Bm̃a Virgo *Platano* se comparat. *Quasi Platanus exaltata sum juxta aquas in plateis Eccl. 24.* jam vero per aquas peccatores intelliguntur juxta illud: *Aquæ multæ populi multi:* nam sicut aqua frigidæ est naturæ & facile glacie constringitur, ita peccatores ignitæ charitatis divinæ expertes ad tantam aliquando spiritus frigiditatem

rediguntur ut toti congelentur & in petræ ac lapidis duritiem vertantur, juxta illam Dei contra illos per *Proph.* quærimoniam: *posuerunt cor suum ut adamantem, noluerunt reverti*: Igitur Virgo sacratissima se comparans *Platano*, nihil aliud vult innuere: quam quod quoties divina justitia justissimę punitionis sagittas in peccatores ejaculatur, aut gladium suum ad eos feriendos extrahit, per *Moysen* comminatus: *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes*: toties ipsa suæ potentissimæ protectionis scuto retundat omnes pœnarum ictus & jacula: *Bene instar Platani* MARIA ait *Richard. de S. Laurent. lib. 12. de Laudib. Virginis*: *Quia juxta populorum peccantium aquas protectionis suæ scuto, precibus & intercessionibus judicis DEI iram avertit.* Sed de his amplius Articulo & Encomio sequenti.

CAPUT

Caput Vigesimum Nonum.

Encomium Marianum *Trigesimum Quintum et Sextum.*

CONSOLATRIX AFFLICTORVM ET AVXILIVM CHRISTIANORVM.

ANte annos non paucos inventam imaginem Virginis superbenedictæ una hora à civitate *Geldriensi* prope pagum *Keevelar* cum hac subscriptione *Consolatrix Afflictorum* toti mundo notum est: similem prodigijs quoque & miraculis celebrem in hac *Diœcesi Paderbornensi*, in *Vernensi Parochia* cum eadem inscriptione videre est: & quam jure merito Virgo beatissima hoc nomen & Encomium sit indepta probant tot & tam infinita pene beneficia, solatia, sanitatum remedia, infirmis, afflictis, ac desolatis, non in corpore solum per morborum incurabilium cæcitatis, gibbositatis, aliorumque innumerorum curationem: sed insuper quoad animam inæsti-

mabili mœstitiâ, peccatis, & gravaminibus pressorũ relevationẽ, & impensam consolationem: ut congruentissime fama sanctitatis notus & Virginis Matris cultor eximius *Ioannes Thaulerus* eandẽ hunc in modum alloquutus & precatus sit: *Quando miseros nos premit immensus dolor, cordis metus, aut mœror, nec ullus uspiam patet effugiendi locus: hoc unum duntaxat nobis reliquum est ô præstantissima Regina cœlorum Virgo* MARIA, *ut oculos nostros ad te levemus, & quidem semper, maxime vero in extrema mortis hora te benignam adjutricem, & Consolatricem invenire optamus. Tu namq; es omnium hominum peccatorum mediatrix apud judicem vivorum & mortuorum. Itaq; quo quisq; se sentit pluribus peccatis irretitum, tanto sibi justius videtur ad te accedere: & quanto est sceleratior, tanto majori jure ad te properare se putat. Tu es unicum reorum solamen, unicum peccatorum perfugium, ad quam respectant, multorum humescentes oculi, cui suspirant complura misera, ac saucia corda. Eja ergo illos tuos misericordes oculos, quos certe à nullo unquam peccatore, nec ab ullo misero destituto, ac desolato homine avertere potuisti ad me miserum converte: accipe me*

pe me in fidem & tutelam tuam siquidem omnis consolatio & spes mea in te sita est. O quam innumeri peccatores peccatis dediti, Deum deseruerant, omnemq; cœlestis patriæ cœtum ac Deum ipsum abjuraverant, & in desperationis voraginem sese præcipites dederant, atq; à Deo misere separati erant: qui tamen tibi innitentes atque ad te confugientes benignissime servati sunt; donec te intercedente apud Deum in gratiam restituerentur. Ecquis tam immanis uspiam peccator est, qui tot flagitijs sese obstrinxerit quod ullus unquam: qui non idem reminiscens spem bonam conceperit. Tu sane es unica singularis & fidelissima peccatorum consolatrix. Te immensa Dei bonitas, & benignitas adeo fecit cunctis peccatoribus amabilem, ut superabundans pietas, & benevolentia tua non possit nos non afficere & recreare. O quoties tremendi judicis sententiam, aut mitigasti, aut avertisti. O quoties apud filium tuum nobis gratiam, & consolationem impetrasti. Citius cœlum cum terra perierit, quam tu aliquem serio te implorantem tua ope destituas. Revera tu es, & diceris Mater & Regina misericordiæ. Eja ergo Mater indulgentissima, Regina clementissima, Domina cœli & terræ, exurge nunc, exurge, &

mediatricem conciliatricemq; te pro nobis exhibe apud filium tuum dulcissimum, ut ipse ob tui gratiam cuncta peccata nostra deleat, nosq; sibi gratos efficiat: & ad vitam æternam perducat. Aurea plane verba omnium peccatorum, & afflictorum cordibus sedulo ingerenda: ut dum se desolatos, afflictos, sive peccatorum pondere pressos, aut alia quavis tribulatione divexatos intuentur: mox ad unicam *illam, ac promptissimam peccatorum, & ad desolatorum consolatricem Virginem suavissimam, cor & mentem dirigant* cum *B. Thaulero* hanc eandem oratiunculam ex intimis præcordijs repetentes ac dicentes: *Quando miseros nos, &c.* vel certe cum mellifluo *Bernardo serm. Paneg.* in hunc modum.

Mentem & oculos pariter cum manibus, ad te Regina mundi attollimus, & coram tuæ celsitudinis gloria genuflectimus cervicem inclinamus ac plenis suspirijs, ad te preces in cælum transmittimus. Tu altitudo cœli beatos oculos tuos quibus incomprehensibilem gloriam illam lucis æternæ cũ desiderio semper intueris ad tuos supplices in hanc mundi miseriam projectos, de alto inclamare non despicias. Et ecce

coram

coram tremendo judice peccatores assistimus, cujus manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos. Et quis avertet eam? Nemo Domina tam idoneus ut gladio Domini manum pro nobis obijciat, ut tu Dei amantissima : per quam primum in terris suscepimus misericordiam, de manu Domini Dei nostri. Aperi tu itaq; mater misericordiæ benignissimi cordis tui januam, suspiriosis precatibus filiorum Adam. Ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbraculum confugimus à facie fortitudinis Dei. Ad te Domina mea stillant oculi nostri : te devotionis clamore valido obsecramus : ut filij tui Domini nostri iram quam graviter peccando succendimus erga nos mitiges, ejusque gratiam à qua ingrati excidimus nobis tua conciliet : cujus livore sanati sumus ejus iterum medelam deposcimus, quia putruerunt & corruptæ sunt cicatrices nostræ, & non est in nobis sanitas. Attende Domina & vide dolores vulnerum animarum nostrarum.

§. I.

IAm vero quod Virgo beatissima revera se consolatricem afflictorum, omniumque sese ex corde invocantium auxiliatricem promptissimam exhibeat, licet præce-

denti Encomio demonstratum sit dum ostensum est, quam pio benevoloq; affectu peccatores ad se recurrentes suscipiat, foveat, contra omnes adversos tueatur incursus, jure merito ab Ecclesia salus infirmorum ac peccatorum refugium nuncupata: nihilominus adhuc pro supplemento illorum quæ dicta sunt, & ut tanto magis omnes ad eam confugiendum animentur pauca superaddenda sunt.

Ostensam aliquando Virginem sacratissimam pallio oblongo vestitam *S. Gertrudi*, sub quo omnis generis animalcula recurrebant, quæ ipsa blande suaviterque suscipiebat ac demulcebat quemadmodum quis solet abblandiri catulo suo: refert *Abbas* pientissimus *Ludovicus Blosius*, per hoc intelligi volens similem in modum sub patrocinium Virginis beatissimæ peccatores confugere, quos illa omnes blande suscipiebat donec filio suo reconciliaret, eorum advocatiam apud Deum in se recipiens.

Olim illam viguisse consuetudinem refert *Quintus Curtius*, quod advocati clientis cujusdam causam in se suscepturi à dextris

dextris suis eum tenerent quasi hoc insinuare volentes se paratos ad eum defendendum à calumniatoribus: miretur quis non immerito cur *Regius Psaltes* magnificentiam ac dignitatem cœlorum Imperatricis depingere volens eam à dextris stantem dicat: *Astitit* inquiens *Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*: cur non potius à dextris sedentem? si enim *Magno Gregorio nostro* credamus, sedere regnantis, stare autem pugnantis est: sed facile tolletur causa admirationis; si eam Advocatam & Patronam peccatorum recogitemus: hinc astat à dextris ut se quasi pugnantem pro peccatoribus, se incessanter peccatores in clientelam suam suscipere, gladium & iram Dei in eis comminatam avertere ostendat: unde diserte *Hugo de S. Vict. lib. 4. de Laud. Virg.* *Astitit* inquit *Regina à dextris tuis: bene astitit à dextris tuis tanquam nostra Patrocinatrix, gladium evaginandum peccatori impediens: & S. Ambrosius* eandem Virginem inclamans: *Te enim brachium, & manum extendente pro nobis divinæ ultionis gladius elevatur & contrahitur*, Nemo enim tam idoneus teste

Bernar-

Bernardo ut gladio Domini manum pro nobis obijciat ut tu Deiamantissima.

§. 2.

GLadio ergo &furori Domini ipsa manum pro peccatoribus in tantum opponit ut sœpius Deus se ejus precibus quasi victum affirmet:ad cujus rei confirmationem conducit quod de *Iacob Pattiarcha Genes.32.* legitur: nimirum eum cum Angelo Dei vices gerente per totam noctem luctatum esse: at sole oriente *Iacob* victorem exstitisse:*prævaluit* ait *textus Iacob adversus Angelum & confortatus est* : Inquirunt hic SS. PP.causam cur tota nocte *Angelus*, aurora autem ascendente *Iacob* victor exstiterit, *Dimitte me* ait *Angelus jam enim ascendit aurora* : Quid quæso impediebat Angelicam victoriam?*Oleaster* ait per hanc luctam figurari bellum,& luctam quæ intercedit inter Deum&peccatores:& per victoriam *Iacob* victoriam quam de filio suo sœpissime in peccatorum subsidium reportat Augustissima cœlorum Imperatrix : Hæc est aurora cujus intuitu se victum Deus ipse fatetur *Dimitte me* inquiens *jam enim ascendit aurora*: De qua olim *Salomon* inquirit: *Quæ est*

ista quæ

ista quæ progreditur quasi aurora cõsurgens &c. Cant. 6. Quem locum in *serm. Paneg.* explicans *Bernardus: Te* inquit ad Bm̃am Matrem *divini Epithalamij præcentor à longe intuitus est, cum in admirationis voce ita prorupit: quæ est quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol : terribilis ut castrorum acies ordinata? sicut aurora valde rutilans in mundum progressa es* ô MARIA, *quando veri solis splendorem tantæ sanctitatis jubare præcucurristi, ut vere diem salutis, diem propitiationis, diem quem fecit Dominus à tua claritate initiari dignum fuerit. Felix aurora felicis diei nuntia exstitisti: Talem auroram, talis dies, & talem diem, talis aurora decuit. Et recte quidem auroræ implesti officium. Ipse enim sol justitiæ de te processurus, ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens in te lucis suæ radios copiose transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva induxerat, in fugam convertisti: atq; ita desideratum cunctis gentibus solem mundo invexisti.* Hujus ergo auroræ intuitu, Deus mox bellum & luctam cum peccatore finit: *Dimitte me* exclamans: ac si manifeste dicat sine me abire ô MARIA, concessa sit tibi quamcumque

petis

petis gratia, veniam & indulgentiam peccatoribus ad tuam interceſſionem, & ob tua merita libenter concedo, neque enim fas eſt, ut faciem meam à te dilectiſſima Mater mea avertam, tuaſque preces reijciam: hæc que confirmat *Oleaſter*: *Quod igitur magni teſtamenti Angelus victum ſe eſſe aſcendente aurora confitetur: nihil eſt aliud niſi quod* MARIÆ *aſpectu Chriſtus infirmum ſe eſſe oſtendat, & peccatori dicat: dimitte me jam enim aſcendit aurora.*

Miratur *Hugo Cardinalis*, & alij cum eo cur Virgo Beatiſſima ubera ſuæ turri comparet, *Vbera mea* inquit *ſicut turris*, *Cantic. 8.* abſona enim primo intuitu hæc ſimilitudo videtur: at *Hugo* turrim eſſe ſymbolum abundantiæ pietatis, & miſericordiæ B. Virginis in peccatores inquit: ſicut enim in turribus ob earum munitionem, & altitudinem, facile ab hoſtium inſultibus defendimur: ſic ipſa per ubera ſua protegit ac defendit miſeros peccatores ab ira DEI: Quid enim facilius filium movebit ad annuendum matri quod petit, quam ſi ubera ſua denudet, ac per ea roget inquiens: per hæc materna ubera quæ ſuxiſti rogo te &c.

Sic nihil

Sic nihil est quod ita Dei & Virginis filium ad misericordiam moveat, quam ostensa Virginis Matris ubera: infallibiliter ipsa pacem reperit: *Ex quo* ait *facta sum, coram eo quasi pacem reperiens*: ut bene dixerit *Hugo Cardinalis, Beata Virgo misericordiæ suæ uberibus lactis suavissimi copia est instar turris, ac proinde ita excelsa ut filios suos non nutriendi tantum, sed & protegendi vim habeat. Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Ipsa reperit pacem inimicis, salutem perditis, indulgentiam reis, misericordiam desperatis.* Hugone longe suavius *S. Arnoldus*: *securum* inquit *accessum habet homo ad Deum, ubi mediatorem causæ suæ filium habet ante patrem, & ante filium habet matrem: Christus nudato latere ostendit patri latus, & vulnera:* MARIA *Christo pectus & ubera: nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni lingua disertius, hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia.*

§. 3.

HAnc Virginis sacratissimæ in peccatores sollicitudinem, ut manifestius mundo proponat Spiritus sanctus varijs utitur figuris & similitudinibus, quarum una est quod

est quod *pulchra ut luna* asseratur: cum tamen *luna* varijs defectibus obnoxia sit, solet enim *Bernardo* attestante non modo defectumcorruptionis, sed & stultitiam mentis designare dum illud Sapientis *stultus ut luna mutatur*: *luna* enim numquam in eodem statu permanet jam accrescit, jam decrescit, jam omnino occultatur: sed causam hujus *Genes. 1.* indicat: qualiter Deus in mundi exordio: *Duo luminaria magna* creaverit *solem* & *lunam*, illum ut præesset diei, eumque illuminaret: illam ut præesset nocti, ipsiusque tenebras fugaret: per *duo* hæc *luminaria* congruentissime intelligitur Christus sol justitiæ & Bm̃a Virgo: ille ut diem seu justos quibus divinæ gratiæ lux lucet suo splendore & radijs illuminet; illa ut noctis tenebras à peccatorum mentibus suis radijs & fulgore dispellat: *Duo* inquit *Hugo Cardin. fecit altissimus luminaria: luminare majus, hoc est Christus, ut præesset diei id est justis: luminare minus id est Virgo* MARIA, *ut præesset nocti hoc est peccatoribus*. Idem insinuat Spiritus sanctus non jam in parabolis sed verbis claris Virginem virginum hunc in modum alloquens: *Si ignoras*

gnoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorum: Et paulo post: *Pasce hædos tuos:* jam vero per hædos non alios quam peccatores designari hinc liquet quod Dominus judicium extremum discipulis ob oculos positurus *statuit* ait *oves quidem à dextris suis, hædos vero à sinistris: oves* id est justos *à dextris suis*, æternis præmijs remunerandos collocabit: *hædos* seu peccatores æternis pœnis & supplicijs adjudicandos, ad sinistram suam sistet: hos ergo *hædos*, sponsam suam Virginem beatissimam pascere jubet Spiritus S. ut ejus intercessione & patrocinio ex *hædis oves* efficiantur, ac à sinistra ad dextram collocentur, æternisque pœnis quibus adjudicandi erant eripiantur: *Pasce hædos tuos* ait *Guilhelmus à Delrio in cap. 1. Cant. qui à sinistris in judicio erant collocandi, tua intercessione efficies, ut collocentur à dextris.*

§. 4.

IN hujus rei confirmationem plurima suppetunt exempla: integros etenim libros teperias, qui hoc solum agunt, ut Virginis Matris in peccatores pietatem, & benevolentiam per exempla antiqua & nova

demonſtrent: unicum è ſacris litteris deſumptum hic annectendum eſt.

Rationes varias conquirunt S. Patres ob quas latro bonus, qui vitam peſſime imo in continuis latrocinijs, gravibuſque ſceleribus tranſegerat, nihilominus tam miro modo in vitæ ſuæ termino ad meliorem frugem ſe receperit, peccata & ſcelera ſua ſerio deteſtatus, eorumque à ſalvatore ipſo remiſſionem & ſalutem æternam obtinuerit: alij id factum exiſtimant quia non ut ſocius in peccatis obſtinatus fuerit: ſed hoc nullo certo nititur fundamento, alij eſſe ſincerum de peccatis dolorem & pœnitentiam: ſed hujus hic cauſam quærimus quare ipſi potius quam alteri ſeria ad pœnitendum gratia data ſit: *S. Vincent. ſerm. 6. in paraſc.* hoc prodigium umbræ Chriſti hunc latronem obumbrantis, & tangentis aſſcribit: Sancti vero *Auguſt. & Chryſoſt.* invictæ Salvatoris noſtri è cruce pendentis manſuetudini & patientiæ qua etiam atrociſſima inter tormenta pro inimicis & crucifixoribus ſuis adhuc nefario operi intentis oxoravit. *Origenes* & alij arbitrantur prodigia & portenta obſcurationis ſolis, &

lis & aliorum quæ Christo in cruce pendente acciderunt motiva fuisse conversionis: optime omnes : sed proposito nostro conformius quidam non contemnendæ auctoritatis Doctores, inter quos sunt *Petrus Dam. Hesichius Ierosolym. Dion. Carthus.* & alij, hujus boni latronis conversionem, precibus & intercessioni Virginis Matris asscribunt : quidam enim ex *S. Anselmo* teste *Carthagena lib. 12. Hom. 2.* referunt matrem virginem cum infante JESU & sponso *Iosepho in Ægyptum* proficiscentem in manus latronum incidisse, quorum unus nomine *Dismas* infantis pulchritudinem ac singularem vultus splendorem admirans dixit: *Si fieri posset Deum carnem assumere, non dubitarem infantem hunc Deum esse,* ejusque precibus reliqui latrones placati sacros hos viatores illæsos dimiserunt: Dicunt ergo Virginem Matrem hujus beneficij memorem, suam intercessionem, & preces ad filium pro eo interposuisse: & ei gratiam hanc impetrasse, ut divina inspiratione & auxilio præventus cœperit peccatorum suorum enormitatem agnoscere, ea ex corde detestâri, & se toto corde ad De-

um coram se crucifixum convertere. *Petrus Dam. Idcirco* inquit *resipuit bonus latro, quia Beata Virgo inter crucem filij & crucem latronis posita, filium pro latrone deprecabatur hoc suo beneficio antiquum latronis beneficium, & obsequium recompensans.*

§. 5.

SEd & inexplicabilem illum Beatissimæ Matris Virginis erga peccatores affectum ipse Evangelista insinuat eam infra crucem stantem asserens : *Stabant autem juxta crucem IESV Mater ejus, & soror matris ejus &c.* Et Ecclesia: *Stabat Mater dolorosa juxta crucem lachrymosa, dum pendebat filius.* Verba *Evang. Alexander de Ales & Seraph. Bonavent.* explicantes, investigant quo loco steterit an ad sinistram, an ad dextram crucis, cum *Evangelista* solummodo eam juxta crucem stetisse asserat, loci autem quo steterit nullã faciat mentionem: respondent autem unanimi consensu stetisse à sinistris, tum quod Christus ipse fateatur per *Ps. 141. Considerabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognosceret me:* certe si mater ad dexteram stetisset, utique & ille ipsam, & illa ipsum cognovisset: tum

quod

quod siniſtra ſit locus reproborum juxta illud *ſtatuet oves à dextris, hædos autem à ſiniſtris*: pendebat autem Chriſtus in cruce facie ad orientem verſa: ſic enim ait *Germ. Patriarcha Conſtant. Beata Virgo pingi debet ad ſiniſtram crucis, quia Chriſtus in cruce faciem tenebat ad orientem, Virgo vero ad ſiniſtram, id eſt ad aquilonem: ſi quæras ab eo*: Cur ô ſanctiſſime Doctor Virgo debet pingi ad ſiniſtram, cur faciem tenere ad aquilonem? *ut oraret* reſpondet *pro peccatoribus: ut te & quemvis alium peccatorem ab ingruentibus graviſſimis, imo æternis malis defenderet: ab aquilone namq; Hieremia teſte pandetur omne malum: faciem ergo tenebat ad aquilonem utàte aquilonares tentationum ventos averteret, faciem tenebat ad aquilonem, ut te frigore, & odio inimicorum conſtrictum reſolveret, & mediante gratia Dei liqueſieres, & remitteres injuriam proximis ut oraret inquam pro peccatoribus.* Eſt ergo & quoaduſque ſtabit mundus erit *Afflictorum conſolatrix & Chriſtianorum auxilium* Virgo beatiſſima ubique ſuis auxilijs & conſolationibus celebris vix enim aliquam Diœceſim vel territorium in *Europa* invenias, quin ſit aliqua mira-

raculosa SSm̃æ Matris statua vel imagine venerabilis: mille ducentas tales in suo *Atlante* MARIANO *Guilhelm. Gumpenbergs* numerat.

Inter quas non immerito numeratur illa quam *Cathedrale Hildesiense templum* inscripta sub titulo MARIA *Vindicatrix*, miraculis celeberrimam asservat: Vindicatrix indubie dicta quia se & suos de hostibus vindicare, & illis auxilium præstare non cessat: constat namque ex ejus *Ecclesiæ Annalibus* & alijs scriptoribus illius Diœcesis antistites hujus magnæ Matris patrocinio & auxilio insignes de hostibus sœpe reportasse victorias.

Anno 1367. cum *Theodoricus Magdeburgensis & Albertus Halberstadiensis Ecclesiarum Præsules cum Ottone Brunsvicensium Duce, in Gerardum 38. Hildesiensem Episcopum* arma sumpsissent, ille magnæ Ecclesiæ suæ Patronæ præstito voto, parva suorum manu adversus ingentes copias dimicavit: cæsi hostium 1500. sed & *Archi-Episcopus Magd. & Episcopus Halberstadiensis cum Ottone Duce* captivi gloriam victoriæ auxerunt. Hujus hodie adhuc supereſt monumentum,

ædicula

ædicula choro impoſita quam ea propter victor Epiſcopus auro veſtiri fecit *Auth. anon. Ehrſclauh. apud Lindebrog. Broſch. in catal. Epiſc. Hildeſ.*

Sic & majorum noſtrorum memoria Anno 1500. *Illuſtriſſimus VValtherus à Plettenbergh Ord. Teuton. per Livoniam magiſter,* excelſi animi heros cum ante ſolemnes Letanias triduo ſervandas indixiſſet: magnæ ſuæ Tutelaris & Patronæ auxilio cum duodecim ſolum ſuorum millibus contra centum triginta millia *Tartarorum & Moſcovitarum* tam fortiter dimicavit, ut ad centum millia, uno ſolum è ſuis deſiderato ferro deleverit: *Thom. Botzio de ſign. Eccleſ.* hoc ipſum tantis Encomijs celebrante, ut aſſerat nihil ſe ſimile invenire in tota antiquitate, vide *Bredenb. VValtherus,* dein teſte *Dörhoff in dedic. ſpec. juventutis,* ante Rigenſem arcem in conceſſæ magnificæ illius victoriæ & grati animi teſſeram magnæ & admirabilis Matris honori eximij artificij ſtatuam ad perpetuam miraculoſi triumphi memoriam collocari, & monetam auream cum ejuſdem effigie cudi curavit, *vide Botzium de ſign. Eccleſ. tam 1. de Bredenb. de bello Livoniæ Beijerlinck, in Theat. in tit. Equites.*

Alphonsus IX. Castellæ Rex sub *ann. 1212.* prælata in vexillis Virginis Deiparæ imagine gloriosa de *Sarracen.* victoria occisis centum fere ipsorum millibus potitus est *Raynoldus in annal. Eccles. ad hunc annum.*

Idem à magna Matre *Christianorum auxilio* sequenti anno *Leodiensis Antistes* adversus *Brabantiæ Ducem* extrema Ecclesiæ suæ minitantem expertus est. *Raynaldus ad illum annum.*

Nec minus memorabilis Christianissimi Regis *Ludovici*, *Anno 1249.* adversus *Sarracenos*, Virginis Matris patrocinio obtenta victoria *Nangius in gest. S. Ludov. Reg.*

Quid memorem pugnam & victoriam *Naupactensem*, magnæ & admirabilis Matris auxilio contra *Turcas* reportatam: prius vox & lingua, prius calamus, charta & atramentum deficient quam auxilia innumerabilia à Virgine Deipara Christianis impensa describere.

Ad te igitur unicum peccatorum refugium & desperantium asylum, Virgo superbenedicta nos miseri peccatores varijs, horridisq; criminibus irretiti confugimus, sub tuum præsidium & protectionem delitescere

teſcere quærimus. Tu illos miſericordes tuos oculos quos à nullo unquam deſperatiſſimo peccatore avertere potuiſti, ad nos miſeros converte, ut tuis freti precibus & præſidijs unico filio tuo reconciliemur, æternaſque pœnas quas millies & ultra hactenus meruimus evadere mereamur. Loquere Domina quia audit filius tuus & quęcumq; pro nobis petieris impetrabis, gratiam in præſenti & gloriam in futuro. Invoca bonum nomen ejus ſuper nos, ut curemur à vetuſta hac lepra carnis & ſpiritus. Te Domina exorante omne jugum noſtrum computreſcat à facie olei divinæ miſericordiæ: renovetur ut aquilæ juventus noſtra ut novi nova voce novum canticum novis civibus aggregati illic ubi nova ſunt omnia, jubilum ſempiternum celebrantes in cymbalis jubilationis concinamus.

CAPUT TRIGESIMUM.

Encomium Marianum *Trigeſimum Septimum.*

REGINA ANGELORUM.

IAm paulatim ad finem encomiorum Lętaniarum Lauretanarum properamus,

nec jam his tam diu uti prioribus immorandum, cum plerique reſtantes jam in encomijs hucuſque pertractatis attacta ſint.

Reginam vero eſſe Virginem Deiparam, quis ambiget qui eam Dei Matrem attendit? ut talis enim jure naturali & divino Regina eſt.

Jure naturali quidem, utpote *David Regis* ſtirpe progenita: *Bernardus ſerm. ſup. ſig. mag. Quid* ait *ſydereum micat in generatione* MARIÆ? *plane quod ex regibus orta, quod ex ſemine Abrahæ, quod generoſa ex ſtirpe David.*

Adde quod *S. Ioſepho* filio *David, Matth. 1.* deſponſata, cum divina lege cautum fuerit *Num. 26.* ut de tribu quiſq; ſua aut familia uxorem duceret: Et quidni Regina ſit quæ illum genuit qui de ſeipſo ait: *Ego conſtitutus ſum Rex ab eo Pſal. 2.* qui *Matth. 2.* dicitur *Rex Iudæorum Ioan. 12. Rex Iſrael. Apoc. 19. Rex Regum & Dominus Dominantium.* Sed & juriſprudentum axioma, *partus ſequitur ventrem*, ſi verum eſt, ut eſt: indubie illa quæ Regis Mater & Regina eſt: Qualis partus, talis & uterus, ſi regius partus, & regius uterus.

Nec minus jure divino utpote quæ Dei Mater

Mater est: Mater enim Dei, Regis, hominis: Regina cœli & hominum sit oportet: *Hæc in cœlis Regina Sanctorum* ait *Rupertus in Cant. 4. & in terris Regina Regnorum est: quando quidem est Mater Regis coronati, quem constituit Dominus super opera manuum suarum, ac proinde Regina constituta totum jure possidet filij regnum. Et Damasc. lib. 4. de fide cap. 15. Verè* inquit *omnium rerum conditarum Domina effecta est; cum Creatoris Mater exstitit. S. Petrus Dam. serm. de Nat. M. V. fecit* ait *in te magna qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cœlo & in terra. S. Bonavent. in spec. c. 3. Virgo est revera Domina cœlestium, terrestrium & infernorum.*

Igitur REGINA ANGELORUM Virgo beatissima ab Ecclesia denominatur: tum quod Angelis ipsa utpote cœli terræque Imperatrix & Regina imperet: nec Angelis sed & Patriarchis, Prophetis, cunctisq; cœli civibus, quemadmodum enim Regi omnes regno suo inhabitantes constat esse subjectos, sic & Reginæ: uti ergo Deo cœlique tèrræque & creatori & conservatori, quotquot cœli terræq; ambitu continentur, sunt subjecti, sic & Beatissimæ Matri prædi-

prædicti Imperatoris& Matris& ſponſæ& filiæ: tum etiam quod virtutes & prærogativæ in Angelis, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus Virginibus, alijſque cœli civibus exiſtentes in majori excellentia & eminentia in beatiſſima Virgine inveniantur, & quidem de Angelis paucis jam oſtendendum eſt.

Mirabiles teſte *Petro Berchorio* Angelorum ſunt operationes ac virtutes, omnia enim faciunt ſine mora&dilatione. Omnia adverſa coercent ſine reſiſtentia & contradictione: ſemper nobis aſſiſtunt & ſerviunt ſine intermiſſione. Humanæ naturæ ſunt cuſtodes à Dei ordinatione: libere Deo famulantur ſine coactione: proficua & utilia nobis procurant ſumma attentione.

His adde quæ hic ſuperaddit *Magiſter* de bono Angelo cuilibet ad cuſtodiam deputato: quod nimirum ad bonum nos excitat ne in vitijs dormiamus, ſpiritualiter nos reficit ne ſub onere recumbamus. Arcet Dœmones, ne læſionem ab eis ſubeamus, inſtruit in ambiguis ut certitudinem habeamus. Conducit in via ne per invia deviemus. Item iſte aſſiſtit nobis in triſtitia poſitis,

positis, ut consolemur, compatitur delinquentibus ut emendemur. Astat prælianti-bus ut adjuvemur, sanat vulnera ne moria-mur, item iste peccata nostra nobis reducit ad memoriam ut erubescamus, voluntatem Dei annuntiat ut eam impleamus. Impedimenta aufert ut Deo liberius servia-mus. Frequenter nos visitat & nobis præcavet ne offendamus: quæ omnia longe majori excellentia Beatissimæ Matri convenire sat ut reor varijs in locis ostensum est, quæ quilibet ipse facile cognoscet, si varijs locis dicta ad memoriam revocet.

Amplius quemadmodum docet divinus ille *Dionysius Areopag. de div. nom. Angelus* inquit *est imago Dei, manifestatio occulti, luminis speculum, purum, splendidum, immaculatum & incontaminatum recipiens totam se fas est dicere speciositatem beneformatæ Deiformitatis*. Longe hoc ipsum verius dicere est de Angelorum Regina Virgine Deipara, ut bene de ipsa verificari possint, quæ de æterna Dei sapientia dicta sunt quod nimirum sit: *Candor lucis æternæ, speculum sine macula, & imago claritatis, vel bonitatis Dei*: unde

unde optime de ea pronuntiavit *ArchiEpsc. Florent. S. Antoninus, Considerandum est* inquiens MARIAM *perfectissimam fuisse DEI imaginem, ab ipso Deo summa arte, ac singulari providentia depictam*: sed & *Dionys. Areopag.* cum Hierosolymam adveniisset ad videndam Dei matrem tanta admiratione illius intuitu captus fuit, ut eam non purum hominem sed Deam esse credidisset nisi aliter edoctus fuisset: *Testor Deum* inquit *qui aderat in Virgine nisi me divina docuissent eloquia, hanc Deum verum credidissem: quoniam nulla major videri posset, gloria beatorum, quam felicitas illa, quam ego tunc degustavi.* Et *S. Epiphanius* Virginem Deiparam comparat *Moysi* è monte *Synaï* facie tota splendida redeunti: *Ioseph* ait MARIAM *aspiciebat, splendorem à facie ejus in modum radij solis exire videbat: sicut à facie Moysi quando de monte Synaï descendit, ubi cum Domino locutus fuerat.* Specialiores tamen Angelorum operationes & virtutes sunt.

Primo quod nos ab omnibus insidijs inimicorum visibilium & invisibilium defendant, & pro viribus liberare contendũt, juxta illud *Ps. 33. Immittet Angelus Domini in circuitu*

circuitu timentium eum & eripiet eos, hoc est per *circuitum timentium Dominum Angelus* ad auxilium eorum & protectionem deputatus sese *immittet*, & velut castrametabitur per *circuitum* illorum ne possint ad nocendum illis accedere adversarij: *immittet* etiam *Angelus* & incutiet timorem & terrorem in circuitu servorum Dei in adversarios, qui undequaque circumdederunt eos & eripiet eos id est: non contrahet manus, quousque à periculis immunes eos relinquat: idem sed longe majori diligentia practicari à Virgine superbenedicta jam satis superque ostensum est qualiter ipsa per modum clypei clientes suos defendat, jacula hostium retundat, & ab omni tentatione eos securos & victores reddens, bene à *Sapiente Clypeus cunctis in se sperantibus* appellata.

Secundo Angeli non solum à malis nos liberare curant, sed etiam ad bona adducere satagunt & laborant, expressam hujus effigiem in *Angelo Raphaele Tobiam*, ducente & reducēte, eum à devoratione piscis, & à Dœmonis suffocatione & potestate eripiente, eum qualiter in matrimonio se gerere,

rere, qualiter Deo pro beneficijs gratias agere deberet docente: quin etiam in tribulationibus quæ inveniunt nos nimis quotidie nos solantur & pro posse liberare satagunt. Jam REGINAM ANGELORUM mentis contemplemur intuitu, & procul dubio eam in his functionibus Angelos in infinitum superare videbimus: O quot milliones animarum jam inferni faucibus recepti essent, & in perpetuum arderent; nisi Virgine interveniente, precibus & auxilio suo succurrente: ut verissime de Beatissima hac auxiliatrice dixerit *Doctor Mellifluus Bernardus serm. 4. in Assumpt. Per te cœlum repletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cœlestis Hierusalem, exspectantibus miseris vita data:* sed nec in tentationibus afflictionibus, adversitatibus ac difficultatibus suis deest Angelorum & afflictorum Regina; ut merito quilibet afflicto ac desolato millies, & ultra ingerantur melliflua melliflui Doctoris sæpius jam repetita verba *si insurgunt venti tentationum, si scopuli tribulationum; respice stellam, voca* MARIAM, *non recedat ab ore.*

CAPUT

Caput Trigesimum Primum.

Encomium Marianum *Trigesimum Octavum, Nonum et Quadragesimum.*

REGINA PATRIARCHARUM, PROPHETARUM ET APOSTOLORUM.

Reginam Patriarcharum, Prophetarum ac Apostolorum Virginem sacratissimam appellare ac salutare Ecclesiam quid mirum? si enim ipsa est cœli terræque Imperatrix ac Regina, utpote filium habens cœli terræq; Dominum ac Imperatorem, utique & Regina erit omnium huic Regi ac Domino, subditorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, denique Sanctorum omnium. Causæ tamen speciales, cur Regina Patriarcharum &c. nuncupetur, hanc esse reor: quot singulari excellentia, omnium Patriarcha-

rum, Apoſtolorum, Virginum, aliorumq; Sanctorum virtutes in ea reluceant: *Omnibus* enim *alijs Sanctis per partes*, MARIÆ *tota ſe infudit gratiæ plenitudo.*

§. I.

A Singularibus virtutibus magnos Patriarchas *Abraham, Iſaac, Iacob ac Ioſeph* commendat *Ambroſius*: in *Abrahamo* devotionem, obedientiam, ac in divinam voluntatem ſuæ voluntatis reſignationem: ſingularem in *Iſaaco* ſinceræ mentis puritatem: in *Iacobo* patientiam in adverſis occurrentibus generoſam: in *Ioſepho* caſtimoniæ amorem præcipuum. *Abrahamum* ſiquidem commendans: *Magnus plane vir Abraham & multarum virtutum clarus inſignibus, quem votis ſuis Philoſophia æquare non potuit. Itaq; cujuſmodi fuerit in eo viro devotio conſideremus, hanc enim primam ab eo exegit Deus dicens: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui: ſatis erat dixiſſe de terra tua, ibi enim erat exire de cognatione, exire de domo paterna; ſed ideo addidit ſingula, ut ejus affectum probaret, ne forte aut imprudenter cœpiſſe videretur, aut fraus aliqua mandatis cœleſtibus pararetur. Tentatur ut fortis,*

fortis, incitatur ut fidelis, provocatur ut justus, meritoque exivit quemadmodum præcepit illi Dominus. Magna profecto *Abrahami* in obediendo & suam voluntatem in divinam resignandi promptitudo: dum ad unicum Domini mandatum, nihili faciens facultates, nihil parentes, & domum patris sui, nihil deniq; consanguineos; terram, cognationem suam & domum patris reliquit: at longe major ejus resignatio, & in obediendo promptitudo: dum unigenitum suum sibi toties repromissum, contra naturæ leges natum, in qua tota posteritatis erat spes collocata, proprijs jussus est jugulare manibus, & Deo in holocaustum offerre: illa probatio, hæc autem fuit tentatio: ita claris verbis *Ambr. Et sanctum Abraham* ait *probavit ante, & sic tentavit ne si ante tentaret quã probasset, gravaret. Probavit eum cum exire de Haran jussit, & obedientem reperit. Probavit cum fidei titulo fretus liberavit nepotem cum de præda nihil attigit, cum promisit seni filium, & cum esset centum annorum, quamvis Saræ genitalia consideraret emortua tamen credidit nec fide hæsitavit, qui posset hæsitare ratione sterilitatis aut senectutis: probavit cum*

hospitij fidelitate. Probatum igitur quasi fortiorem, tentandum putavit majoribus, & quibusdam imperijs durioribus. Igitur tentationem & ei correspendentem *Abrahami* obedientiam videamus: *Et dixit Deus ad eum, Abraham, Abraham: quot verba tot mysteria: Repetitione nominis mentem excitat, ut esset paratior: denique respondit illi. Ecce ego, & dixit: accipe filium dilectissimum quem diligis Isaac, & vade in terram excelsam, & offeres mihi illum in holocaustum in uno montium quem dixero tibi. Non sinit otiosum esse affectum Patris. A principio eum stimulat & pungit pietatis aculeis & filij nomen addit, ad nomen necessitudinis, & vim amoris. Non satis putavit esse dixisse filium, adjungit amantissimum, quem diligis Isaac. Nec otiose addit nomen Isaac, hoc est eum quem suscepisti de uxore unicum, suscepisti in senectute, suscepisti tanquam fidei tuæ præmium, remunerationem operum tuorum, suscepisti ex promissione Dei, non conjugis fœcunditate, ex qua alium sperare non possis. Offeres in holocaustum, sed prius vade in terram excelsam. Interponitur spatium ne præcipitari subito videatur affectus Patris, ut illa dilatione obrepat gratia pietatis, desiderium Patris. Adjecit in*

jecit in uno montium quem tibi dixero. Et hic similiter ut dum ascenderet senex, infringeretur impetus, lassaretur dextera, deficeret intentio: dum quæreret montem discere, dediscereret apparatum. Nec tamen tot inter tentationes tot occasiones afflictionis quibus torquebantur Patris viscera titubavit fides Abrahami, mansit prompta, & cæca ejus in divinam voluntatem resignatio & obedientia. Sed si jã huic heroico *Abrahami* facto, tam magnanimæ ejus obedientiæ & resignationi, divinam virginis sacratissimæ resignationem, ac obedientiam, & in divinam voluntatem totalem abdicationem, comparare voluerimus utique hanc tantum excellere ac excedere *Abrahami* aliorumque *Patriarcharum* resignationem, cæterasque virtutes videbimus ut merito Reginam Imperatricemq; *Patriarcharum* ab Ecclesia salutatam asseramus. Tanta etenim fuit huiꝰ sacratissimę Virginis in divinam voluntatem resignatio tanta conformitas, ut ea verbis vix explicari possit: mirum quid, summe obstupescendum, ac vix credendum à pijs auribus asserit *Archi Episc. Florent. S. Ant.* è familia Dominicanorum ad eam dignitatem assumptus

sumptus *parte 4. tit. 15. cap. 41. §. 1. O Dominæ* inquit ad Bm̃am Matrem *ita divinæ voluntati conformis fuisti, ut audeam dicere si nullus fuisset qui filium crucifigeret, ut adimpleretur voluntas Dei, ipsa illum in cruce posuisses, & clavis affixisses. Neque enim minoris te obedientiæ fuisse credendum, quam Abraham qui proprium filium proprijs manibus Deo obtulit, occidendum, & comburendum.* Idem sentit *Cancellarius Parisiensis Gerson: Ipsa* ait *si Deus id jussisset, filium crucifixisset: implesset q; quod de cœlesti Patre asserit Apostolus Paulus, proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Profecto si tantum juxta crucem stantem consideremus; utiq; facile ejus in divinam voluntatem resignationem cognoscemus: mirum eam non exanimem concidisse, dum dilectissimum suorum viscerum, quem de Spiritu sancto se concepisse noverat, ante se de cruce in sublimi pendentem conspexit: Date Matrem quæ hæc talia in unico filio eoque amantissimo cogatur cernere, cujus tamen cor mœrore non contabescat. Quomodo igitur Virgo spectaculum tam infandum in unigenito suo exhibitũ, & oculis & auribus ex-

bus excepit? Et tamen stetit, tamen animo non concidit: unica atque una resignationis virtus in statu Matrem tenuit: imo probabilissimum est virgineam hanc Matrem quod per omnem vitam consueverat tum maxime obijsse: indubie ad omnia illa tam oculorum, quam aurium, acerbissima vulnera illud assidue secum ingeminasse: *Ita Pater, ita Pater quoniam sic placitum fuit ante te. Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum, secundum voluntatem tuam:* nec minor in ea fuit castitatis mentis sinceritatis, patientiæ, aliarumque virtutum in *Patriarchis* relucentium excellentia quas in alijs Encomijs *Virgo virginum, Virgo potens, &c.* attigimus.

§. 2.

NEc solum Regina *Patriarcharum* sed & *Prophetarum* Virgo sacratissima appellatur: utique quia non minus quam alij Prophetæ spiritu prophetico ipsa prædita fuit: insuper quia frequentissima de ea Prophetarum oracula prænunciata sunt: & teste *D. Hieronymo in serm. de Assumpt. B. Virg. Ipsa divinis angelicisque præconijs laudata ac prædicata, à Patriarchis quidem figuris*

figuris & ænigmatibus præsignata, à Prophetis autem prænunciata, ab Evangelistis exhibita, & demonstrata: ab Angelo venerabiliter atque officiosissime salutata. Quod enim à Prophetis prænunciata constat: quam enim *Salomon* requirebat dum sollicitus & admirans exclamabat: *Mulierem fortem quis inveniet* quam aliam nisi MARIAM: Quid etiam *Rubus* ille *Mosaycus* protendebat, flammas quidem emittens sed non ardens nisi MARIAM parientem, & dolorem non sentientem? quid virga *Aaron* florida non tamen humectata, nisi MARIAM ipsam concipientem licet virum non cognoscentem? quid etiam illud *Gedeonis vellus, quod utiq;* ut ait *Fulbertus Carnotensis de carne, sed sine carnis vulnere tonsum area ponitur: & nunc quidem lana, nunc area rore perfunditur! nisi carnem assumptam de carne Virginis & sine detrimento virginitatis?* quam denique aliam prædixit *Evangelicus Propheta Isaias* cum *egredietur* inquit *virga de radice Iesse & flos de radice ejus ascendet?* Et iterum *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium &c.* Quam hanc superbenedictam Virginem? confirmat jam dicta *Abbas Rupertus lib. 1. in Cant. Inter cæteros* in-

ros inquit *odores unguentorum quibus perfusa es, prophetiæ fragrasti etiam longe antequam nascereris, Hoc enim senserat propheticis naribus ille qui dixit: & accessi ad prophetissam & concepit & peperit filium. Numquid ille solus ad te accessit ô Prophetissa fidelis? Imo Prophetæ omnes ad te accesserunt, quia prophetiæ omnium & scripturæ omnes in tuum sensum cum superveniente in te Spiritu sancto convenerunt.* Amplius autem eam veram fuisse Prophetissam testatur quoque *lib. 6. in Cant.* considerans hæc verba *Prophetæ Isaiæ: Et accessi ad Prophetissam & concepit, & peperit filium: Tu* inquit *ô dilecta es illa Prophetissa, ad quam accessit omnis sanctus & fidelis Propheta: ad quam tendebat, & in qua completa omnis sancta & fidelis Prophetia.* Et *Basilius* in expositione eorundem verborum *Isaiæ cap. 8. post init. quod* MARIA inquit *Prophetissa fuerit ad quam proxime accessit Isaias per prænotionem Spiritus, nemo contradixerit: qui sit memor verborum* MARIÆ, *quæ prophetico afflata spiritu elocuta est. Quid enim* ait? *Magnificat anima mea Dominum: & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem Ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me di-*

me dicent omnes generationes. Quod animum accommodaveris universis ejus verbis, nonutiq; contentiose negaveris eam fuisse Prophetissam; quod Domini Spiritus in eam supervenerit & virtus altissimi obumbraverit ei. Cui etiam subscribit *Seraphicus Bonavent.* in suo *Mar. Psalt. Et tu* inquiens *Prophetissa Dei vocaberis quoniam quod novisti respexit humilitatem Ancillæ suæ.*

§. 3.

DEnique Regina quoq; *Apostolorum* dicitur Virgo sacratissima, nimirum quia illorum in omnibus post filij sui in cælum ascensionem directrix, instructrix, informatrix: tunc mysteria ab Apostolorum adhuc cordibus abscondita, pro eorum ac aliorum fidelium informatione ad lucem retulit: tunc ea quæ hactenus in corde suo conservaverat, & ruminaverat pro aliorũ salute publica fecit: merito ab *Abbate Ruperto, Magistra Apostolorum* nuncupata: *Horum* inquit *Rupertus discernendorum, utique te magistram esse oportebat, ô magistra Apostolorum quæ es fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. An quia Spiritus sanctus illos docuit, idcirco tuæ*

vocis

vocis magisterio illis opus non fuit? immo vox tua, vox illis fuit Spiritus sancti, quidquid supplementi opus erat eisdem mortalibus vel testimonij, ad confirmandos singulorum sensus quos acceperant, ab eodem Spiritu dividente singulis prout vult, ex religioso ore tuo perceperunt instructo, ad loquendum bene composito, ad tacendum prout tempus erat opportunum. Et item *lib. 5.* explicans verba *qualis est dilectus tuus &c. Opportuna* inquit *valde percunctatio, si respiciamus ad illa tempora de quibus nunc agimus, quando tu ô dilecta propter Evangelium dilecti præsens aderas, & in corpore detinebaris, magistra necessaria testis valde idonea: pulsandum enim tunc erat, ad ostium veritatis & consulendum oraculum Spiritus sancti, scilicet sacrarium pectoris sui: ut viva voce omnem necessariam tenendam demonstrares regulam fidei, cum testimonio scripturarum, quas memoriter tenebas Prophetissa magna & capax omnium scripturarum Prophetarum sive prophetiarum.*

CAPUT

Caput Trigesimum Secundum.

Encomium Marianum *Quadragesimum Primum, Secundum, Tertium & Quartum.*

REGINA MARTYRUM, CONFESSORUM, VIRGINUM ET SANCTORUM OMNIUM.

VIrginem sacratissimam omnem gratiæ plenitudinem habuisse, in eamq; velut in mare omnia flumina, ita omnes gratiarum fluvios influxisse: ut verissime de se ipsa dixerit: *In me omnis gratia viæ & veritatis* jam ex sanctis Patribus ut recordor dictum est sœpius: etenim omnes gratiæ à Deo sanctis concessæ, sunt in illa per cœlestem quandam eminentiam & abundantiam: numquid non illa est cujus gratia dicitur: *multæ filiæ congregaverunt divitias tu supergressa es universas? Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum suum confirmavit super caput ejus:*

omnes

omnes enim illi DEUS concessit benedictiones & dona quæ alijs hominibus simul indulserat: quæ si ita sunt utique nulla jam supererit dubitandi ratio, quin eidem etiam *Martyrium* quod secundum *S. Augusti.* est donum maximum & eminentissimum, quo Deus amicos suos in hac vita dignatur, concessum fuerit: concessum fuit, ipsi hoc eminentissimum donum modo quodam singulari: idem enim ejus ac Christi fuit *Martyrium*: quod si illud, tale tantumque fuit; quo nullum unquam majus erit ut ideo Christus à *S. Augusti.* alijsque SS. PP. caput ac princeps Martyrum appelletur: utique & Martyrium Virginis superbenedictę summum & gravius fuit aliorum omnium Martyrum simul sumptis ut merito Martyrum omnium Antesignana & Regina nuncupetur.

§. I.

NOëmi *lib. Ruth cap. 1.* post innumeras toleratas afflictiones & adversitates ad suos consanguineos *Nolite* inquit *vocare me Noëmi, sed vocate me mara: quia amaritudine replevit me Dominus.* Hoc ipsum afflictissima & cum filio suo *crucifixa Mater & Virgo*

Virgo majori jure dicere potuit: ejus enim dolor ac afflictio quam passa est, dum filium suum in cruce vidit suo in martyrio laborantem, tam grave atque ineffabile fuit: ut in illo ipsa plura senserit quam omnes reliqui Martyres, sentire potuerunt: & hunc ejus dolorem velut vivo penicillo delineat *Hierem. in Thren. Magna est* ait *velut mare contritio tua*: ac si manifeste dicat eo modo quo mare fluvios omnes antecellit, ita virginis sacratissimæ Martyriũ aliorũ Sanctorum antecedit, velut mare quod nullum habet fundum, & nulla bolide metiri potest: sic nec ullus potest intellectus penetrare mare dolorum, cruciatuum, ac pœnarum quas passa est *Virgo Virginum* præclarissima.

Mandarat olim Deus ut ex sanguine sacrificij sibi oblati, ita totus conspergeretur populus, ut ad singulos eorum gutta aliqua nonnulla sanguinis perveniret: & per illum celebraretur, consecraretur, firmareturque omnium, atque singulorum cum Deo facta pacificatio: *ille vero (Moyses) sumptum sanguinem respersit in populum*, quando vero accessit ad Altare: *Exodi 24.*

Reli-

Reliquum sanguinem fudit super altare. Alijs sufficiebat unica gutta, sed altari totus lagenæ sanguis infundebatur: nullus sine sanguine ad Deum accedit: ut enim ad gaudia æterna perveniatur necesse est ut sanguis Christi cadat super singulos eorum qui gloria illius sunt fruituri: porro super virginem quæ vivum ac verissimum Altare Dei est, in quo primum oblatum est Deo sacrificium, juxta illud: *Ingrediens mundum dixit hostias & oblationes noluisti tunc dixi ecce venio*: in purissimo enim ejus utero celebratum est verbi incarnati mysterium, eoque instanti quo factum est, se ipsum obtulit æterno Patri, ad sanguinem suum effundendum, vitamq; dandam pro redemptione lytroq; mortalium. In hoc igitur Altari ubi primum oblatum est sacrificium non guttatim decidit sanguis passionis ut in cæteris Sanctis: sed tota de calice vehementia defluxit in Virginem sacratissimam, omnesque dolores, pœnæ, tormenta, & angustiæ, quas Christus in cruce moriens patiebatur, in eam irruerunt ut gravius fuerit ejus martyrium, quam omnium simul aliorum Martyrum. Et longe gravius quam si aut craticulas ardentes

cum *SS. Laurentio & Vincentio*, aut rotas novaculis præparatas, cum *S. Catharina*: aut ignem, gladium, cataſtas, membrorum diviſionem &c. cum alijs Martyribus toleraſſet.

§. 2.

CAuſam inveſtigat *S. Auguſt.* quare filio Dei è cruce pendenti & Virginem ſacratiſſimam Matrem ſuam ſancto *Ioanni ecce* inquiens *Mater tua*, & iterum eundem ut filium ſuæ Matri Virgini commendanti *ecce filius tuus*: neuter ex ipſis, nec Virgo ſacratiſſima, nec *S. Ioannes* ullum verbum reſponderit? cauſamque ait eſſe, vehementiam doloris, & afflictionis in utroque vocem intercludentis, ſimul & vehementiam amoris, quo in eum ferebantur: ſolet autem amor, ſicut omnium aliorum affectuũ ita & eſſe cauſa doloris: quanto quis enim magis alium diligit, tanto de ejus bono ac proſperitate magis gaudet, deque ejus malo & afflictione dolet & affligitur: Amoris ergo virginei magnitudo cauſa erat, quod omnia tormenta quibus tortores Chriſti corpus atterebant, ipſa in anima pateretur ſi enim videre Chriſtum cœli terræq; Dominum

minum è crucis patibulo pendentem ac morientem fuerit tam triſte ſpectaculum, ut ſicut expendit *S. Bernard.* illud etiam inſenſibilia demonſtrarint: *Paſſio Domini* ait *terram movet, petras ſcindit, monumenta aperit, lapides diffundit, ſol tale quid ſufferre non valens lumen ſuum abſcondit illa tam inuſitata eclipſi: cœlum nubibus obducitur tenebroſis, luctumque induit.* Quid non in pectore Virginis tanti pœna doloris efficeret, ſi petræ dirumpantur? quid dicendum de corde Matris, quæ ſtabat juxta crucem: Heu quantus dolor, quanta triſtitia? duo ſpecula propone tibi ſibi invicem oppoſita, & quod in uno agitur videbis in alio quoque repræſentari? manus adijcis uni eorum, & continuo ſunt ita diſtinctæ in altero, ac ſi eſſent in illo. Quando muſicum inſtrumentum apponitur, pone alterum ut bene conveniant, ſitque harmonia ordinata: neceſſe eſt ut ambo pari reſonent ſono, unum ſpirent aërem, unamque habeant proportionem nec unum alteri diſconveniat: Chriſtus ejuſque Mater ſanctiſſima, duo ſunt ſpecula terſiſſima, chriſtallina, ſine fuligine ſine macula: *Speculum ſine macula, cor*

MARIÆ ait *B. Laur. Iustin. lib. de triumphali agone, Christi clarissimum fuit speculum passionis Christi, & perfecta mortis ejus imago:* Christus patitur in corpore, moriturq; in cruciatibus adeo truculentis. Manus carnificum summa apparent sævientes immanitate, confestim omnes illi dolores cernuntur in anima dilectissimæ Matris, velut in speculo illi oppositio. Cythara Christus in S. Crucis brachijs extensa est, & composita, attracti sunt fides brachiorum illius, ac pedum: ut musicam efficiant ordinatam reconciliationis hominum, cum æterno Patre: unde hanc edidit harmoniam: *Pater ignosce illis*: Psalterium virginale ad pedes adstat crucis: stat id est confirmat, eandem resonat musicam, ibi pariter pro inimicis intercedit, ibique idem filij sui offert sacrificium, in remissionem & satisfactionem omnium peccatorum totius mundi, etiam ipsorum qui crucifigebant, & manus suas in Christi sacratissimo sanguine lavabant.

§. 3.

HUjus Virginis beatissimæ doloris ac afflictionis acerbitatem, clari⁹ ut nobis ob oculos *Evangelistæ* ponerent: imitati sunt

sunt celeberrimum illum & expertissimum pictorem *Thymantem* quando depinxit nobilissimæ principis *Iphigeniæ* mortem & acerbissimos illos luctus, quibus mors illa quoslibet de palatio & regno consternavit.

Et primo quidem conatus est penicillo suo dolotem parentum exprimere hac clade mœstissimorum: quem ut ad vivum delinearet usus est subtilitate ac industria: primo servos expressit vultu admodum tristi lachrymis ubertim ex oculis profluentibus: deinde cubicularios, clarioribus adhuc mœroris indicijs: amicos depinxit ut reliquos fletu, luctuque superarent. At cum ad fratres accessit summum ascendit tristitiæ & afflictionis gradum. Sed patris & matris mœstitiam depicturus: nullam esse sciens manum, nullum penicillum, quo tantus possit exprimi luctus, desolatio tantæque lachrymæ: velum faciebus eorũ superextendit quo toti contegebantur: ars enim nequit delineare quis sit dolor, qui gemitus, quæ suspiria, quales angustiæ, quantiq; cruciatus quos in parentibus producit inopina & immatura mors filiæ, ita à parentibus & omnibus dilectæ *Iphigeniæ*,

simili argumento usi sunt *Evangelistæ* in exprimendo dolore Matris filij Dei è cruce pendentis.

Et primo quidem describunt dolorem ac planctum famulorum, lapidum inter se collisorum,& præ dolore ob mortem Domini sui dirumpentium: Terra describitur timore contremiscens,&motibus concussa terrificis: sepulchra aperiuntur, mortui de tumulis exurgunt:sol &luna tristem patiuntur ecclipsim: stellæ pullo teguntur amictu, totumque cœlum tristes celebrat exequias: Templi velum à summo usque deorsum laceratur,patentque adyta &sancta Sanctorum. Et tandem in omnibus creaturis generalis est magnaque tristitia. At Virginis Matris dolorem summe intensum sibi impossibile existimantes effari,faciem ejus velo obducunt: tantus est enim piæ Matris dolor,tanta desolatio,ut nullum eam possit efformare penicillum,unde illis hoc dixisse sufficit: *Stabat juxta crucem Mater IESV* MARIA: pœnam ejus non exprimunt sed quasi linteum oppandunt. Novum & inauditum animositatis genus tormentorum in filio barbarissimorum adstare spe-

re ſpectatricem, & teſtem Matrem: cum reliquæ matres tectis ſe abdant, latebris condant, tenebris ſepeliant, ne cogantur in filijs videre, quod in alienis etiam horrent, & mente circumferre vulnera, quæ oculis contueri ægre ſuſtinent. Apoſtoli & omnes uno excepto *Ioanne* diſcipuli fugam inierant, at Mater cruci adſtat impavida. Quis non obſtupeſcat ſic ſtantis matris animoſiſſimam conſtantiam? quis enim ſibi ultro accerſat vulnera? quis ea cum poſſit non refugiat? in filiorum vero ſupplicijs præſentem Matrem excarnificari nemo dubitat: qui hoc unum quid ſit eſſe matrẽ cogitat. Mentiri non poteſt matris affect°, non poſſunt ubera. Cum enim filius mater; ni ſanguinis pars ſit maxima: non poteſt non acerbe ſentire mater, cum in hac ſui parte cruciatur, eoque magis, quo tormenta ſunt graviora: ut non immerito tota obſtupeſcat creatura, cum cernat matrem, & talis filij matrem, non ſedentem, non jacentem, non animo deficientem, non cœlum ejulatibus implentem, non tortoribus maledicentem, non humi collabentem, nec ullo indecoro geſtu lugentem: ſed

ſtantem, ſed orantem, ſed horum omnium ſupraquam dici poteſt tolerantem. Hæc inrer armatos hoſtes non movit gradum, & mulier & mater. Auſa inter carnificum manus ſtare interrita, inter Judæorum odia & minas, tanquam inter inſanos pelagi fluctus ſtare inconcuſſa, videre malleos, clavos, lanceam: ſpectare filij manus & pedes terebratos, latus perfoſſum, audire maledicas voces, guſtare fel & acetum filio infuſum. Certe optime de ea dixit *S. Ambroſ.* MARIAM *ſtantem legi, flentem non legi: Nec hinc* inquit *idem tibi perſuadeas minorem ejus fuiſſe dolorem, vel pœnam: quia non fleverit, ſed potius inferas graviorem fuiſſe dolorem dum enim funduntur lachrymæ, cordis pœna mitigatur:* eo namq; fine Deus oculos creavit ut antliam in navi: quatenus dum ita increſcunt aquæ, ut nautæ periculum timeant naufragij, ſubveniat antlia, navimque ab aquis exoneret alioqui demergendam: homo navis eſt mare hujus mundi pernavigans, quam ſubintrant variarum tempeſtatum triſtitiarum pœnarum aquę, à quibus cor præfocatur juxta illud *ſicut tinea veſtimento* &c. Ut igitur hæ aquæ foras

foras expellantur ne cor demergant: statuit Deus oculos, ut per illos ab aquis exoneretur flendo, & pœna qua interius demergenda temperetur. Itaque lachrymas fundere pœnam est mitigare, & his habenas fluxumque permittimus, ut dolor animi auferatur.

§. 4.

NOtum est Imperatoris Vespasiani dictum, *Imperatorem stantem mori oportet*: nec alio modo convenienter dixero: *Imperatricem stantem mori oportet*: stetit virgo sacratissima inter omnes totius orbis fœminas vera Imperatrix; stetit cum filio crucifixa, & mortua: ita enim in virgineo corde suo sensit dolorem, & afflictionem filij, ut jure merito cum ipso mortua asseratur. Tantus enim fuit *Bernardino* teste iste virginis dolor, ut si in plurimos hominum divideretur omnibus esset interitum allaturus: unde juste quis virgineam statuam interpellet: Ah quomodo Virgo sacratissima huic spectaculo interesse, & filio tali in lectulo morientem aspicere potuisti? *Agar* ancilla *Saræ* cum annona quam itineri acceperat consumpta, fame sitique urgeretur ad

tur ad extrema filium *Ismaelem* sub arbore collocavit,& procul inde digressa, *non possum* ait *morientem cernere*. Et ad teli jactum tristi spectaculo se subducens, ac considens alta voce ploravit. Cum infantulos catalepsis corripit, à cunis parentes abeût, ne misere luctantes cernant. *Iacob* in omnib⁹ adversis inconcussus videbatur, sed ad unicum illum nuntium extincti *Ioseph* animum contraxit : *Iob* diversis cladibus sibi nuntiatis nihil visus est curare; at nuntiata sibi filiorum morte repentina, mox surrexit,scidit vestimenta sua, & tonso capite in terram corruens adoravit. At tu afflictissima licet:ut fortissima tamen herois in conspectum morientis filij animose te dedisti, stetisti dum natus expiravit.

Stabat ergo juxta crucem IESV Mater ejus: *stabat*, amicis notis discipulisque qui tanta promiserant, jam pridem dilapsis. *Stabat* publice inter tot hostes hominis crucifixi Mater : *stabat* non eminus sed proxima filio. *Stabat* gladio *Simeonis* animam ejus continuo,lente tamen pertranseunte: tot enim gladios ibi reperit, quot spinas, clavos,vulnera filij, sanguineosque rivulos vidit.

dit. Meri erant gladij, per aures, oculosque admissi: *Omnium dolores Martyrum* inquit *S. Anselmus cum hoc dolentis Virginis collati, Nihil sunt*: *Stabat* oculos suos per omnia nati vulnera volutans: manus, pedes, caput, faciem morientis exactissime contemplata: *Stabat* fixissimis oculis tanquam depictura filium: *Stabat* parata mori ut ait *Ildephonsus si non desit percussoris manus*. *Stabat*, sed si dolores stantis consideremus, *stabat* in igne sævius urente, quam qui tres pueros *Laurentium*, *Vincentium* alioque Martyres involvit: *Stabat*, Mater tristissima in monte *Ætna*. *Stabat*, in medio marinorum fluctuum, in irato mari, tot fluctuum intumescentium, totque cruciatuum: *stabat*, inconcussa soli Deo nixa. Enimuero sic fixa *stabat* & firma: ut eam neque mors, neque vita, neq; creata res ulla, ab amore, ac præsentia filij potuerint divellere, aut deijcere: *stabat* certe: neque enim eam truculentus Judæorum furor, nec barbara militum sævitia, nec summa plebis compressio, neque tot maledicæ linguæ, quæ illam telis undique impetebant, hoc statu movere potuerunt. Maledicta & execrationes mille

audiebat, illa tamen *ſtabat* : *ſtabat* inquam inter tot moloſſos, qui unicum ipſius Agnellum lacerabant, imo *ſtabat* adhuc filio jam mortuo. Diffluxêre omnes ſuam ſinguli domum repetivêre : à cruce non abibat Virgo, ſed divinæ bonitati fidebat, ac providentiæ, à qua ſperaverat mittendos in ſubſidium homines, qui in ſua ſibi brachia amantiſſimum illud Crucis pondus deponerent.

§. 5.

Tabat ergo Virgo & *Martyr* conſtantiſſima benè *Martyrum* nuncupata *Regina* conſtantia incredibili. Conſtantiam veteres pingebant in rupe ſtantem quam undique maris fluctus procellæ & tempeſtates impetebant, cum hac inſcriptione: *Eadem ſum ſemper*. Videte hic Dei Matrem velut redivivum conſtantiæ exemplar, in rupe *Golgothea ſtantem* procellis dolorum, ac afflictionum, eam undique impetentibus: ſed illa vere dixerit: *Eadem ſum ſemper*: filius ejus ut latro comprehenditur: *Annæ, Caiphæ, Pilato, Herodiq;* ſiſtitur, cæditur, ut reus mortis damnatur : *Eadem ipſa eſt ſemper*, flagellis diſcerpitur, ſpinis redimitur, Barrabæ

rabę postponitur, irridetur, cruci adjudicatur: interim *Ipsa eadem est semper*, infami ligno affigitur, inter tormenta loquitur, clamans hasta confoditur, de ligno deponitur? ipsa ut ante ita, *eadem est semper* constans, patiens, divinæque voluntati conformis.

Et quidem ut tanto perfectius virginei pectoris dolores penetremus: cogitem⁹ *Abrahami* sacrificium, & comparationem ejusdem cum Virginis Matris spirituali sacrificio conferamus. Mandarat *Abrahamo* Deus ut filium suum unigenitum sibi offerret in sacrificium: *Tolle* ait ad eum *filium tuum*: nam si vir multum filio afficiatur, toto vitæ suæ decursu, plus tamen jam grandævus: tunc etenim clarius cognoscit conservandam in illo naturam suam, suiq; memoriam: unde tunc amore illum prosequitur puriori: *Abrahamo* ergo jam grandęvo, ut spem & baculum senectutis suæ immolet demandatur: *filium tuum* ait *unigenitum*: cùm enim esset patris unigenitus, totus in illo paterni pectoris amor colligebatur. Et quamvis hoc ad acerbum sufficeret luctum, non destitit sed alia subjungit, quæ cor

cor acrius pungant,& perrimentur: *Quem* inquit *diligis*. Erat quippe non vulgaris ejus amor, illum autem reducere ad mentem, quando jam filium erat amissurus; numquid non dolores illi renovabat acutissimos? & super hæc omnia nomine illum compellat risus *Isaac*, ut in acerbius verteretur hoc illi tormentum, & planctum, videre quod illi ipsi debeat vitam adimere, qui risus illi objecta movebat: majora dum ejus fruitur, gaudetque societate: fortius nodum stringit&animum,illi dicens:quod paterna debeat manu filius immolari: *Offeres* non ait: dabis, ut eum videlicet alter offerat, nequaquam sed tu ipse ut sacerdos offeres holocaustum, & propria tu pater manu filium obtruncabis,&eum mihi consecraturus offeres. Tu ipse tuis filium manibus interficies, & concremabis: hoc enim genere supplicij morietur igne scilicet: *In holocaustum*, in quo nec lamentandi superstint cineres, si illum suspenderet vel tantum capite truncaret, supereffet illi corpus: si feræ illum discerperent, ossa supereffent,quibus vel tantillum tristem posset animum delinire: verum non vult ullas

patri

patri ſervari reliquias, ne vel minimus daretur locus, portaque conſolationi. Tu ſolus illum ſacrifica, nullus te comitetur, nulli tuas communes anguſtias, ne forte ex hoc ſolamen aliquod accipias, ut vulnus corporis adoleſcentis animam tuam pertranſeat: & hoc non continuo fiat, ſed poſt triduum: quatenus interim, nec comedat *Abraham*, ſed lachrymetur, ingemiſcat, proficiſcatur, paternumque pectus inter ſpinas volutetur, agonizet, & cum amore decertet, pugnet cum cogitationibus, & cum affectibus luctetur paternis, quæ doloris vulnus acrius exercebant: Deus cor illius extremis angit agonijs, quibus enim oculis *Abraham* filium cerneret buſti ſui humeris ligna deferentem? quibus manibus gladium ferret & ignem? loquebatur patri filius. *Pater mi*: hoc ſolum ſufficit verbum ad lancinanda viſcera juſti hujus. Nos ipſi ovi compatimur balanti jam ad lanienam paratæ; quam ergo confractum foret paternum pectus hac voce concuſſum? filius non poſthac futurus filius; manibus ejus interimendus, qui te genuit patris amantiſſimi. Et hoc non timerent etiam latronum

tronum filij? ubi est victima? ignem video gladium, & ligna, victimam tamen non aspicio. Quod quæso tormentum latroni inflictum est atrocius, etiam in carceribus ipsis, vinculisque Tyrannorum? sed si huic paterno affectui ac dolori, gladium quoq; doloris qui virgineum pectus filio inter tormenta, & vulnera ultimum spiritum ducenti transfixit comparemus: nullam comparationem esse censebimus: quod nulli dubium erit jam dicta pensanti & consideranti. Hanc ergo afflictissimam Matrem quoties procellis afflictionum involvimur irreflexis animi oculis consideremus, actus nostros secundum illius in adversis moderemur: ab ea discamus non elevari in prosperis, non deijci in adversis: sed ijdem simus semper: indubie cum ea participaturi promissum patientibus, & afflictis inhoc mundo præmium.

Igitur jam ni fallor Virginem sacratissimam non immerito *Reginam Martyrum* appellatam sat demonstravimus: quod autem & sit *Regina Virginum, Confessorum, & Sanctorum omnium* etiam in supradictis varijs in locis demonstratum est, idque S.

Idiota

Idiota lib 6. contempl. confirmat *Sanctorum omnia privilegia* ait ad eam *habes in te congesta ô Virgo: nemo æqualis est tibi, nemo major te, nisi Deus:* *Idiotæ* subscribunt SS. *Ildephonsus Anselmus, Bernardinus, Bonaventura: Ildephonsus serm. 2. de Assumpt. sicut* inquit *est incomparabile quod gessit, & ineffabile quod percepit* MARIA: *ita est incomparabile præmium quod meruit. S. Anselmus de excell. Virginis cap. 8. Immensitatem* ait *gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ, considerare cupienti ô Virgo; sensus deficit, lingua fatiscit S. Bernardin. Senens. Tom. 1. serm. 61. art. 2. cap. 3. Tantum differt gloria Virginis à gloria omnium Beatorum, quantum sol à cæteris luminaribus cæli, & quodammodo sicut cætera luminaria irradiantur, à sole sic tota cælestis curia à gloriosa Virgine lætificatur, & decoratur.* Et denique *Seraph. Bonavent. in spec. B. Virginis, cap. 6. Glorioſum* ait MARIÆ *privilegium est, quod quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius, in gloria est, hoc* MARIÆ, *hoc in* MARIA, *hoc per* MARIAM *est.*

Agnus

Agnus DEI qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.

FINIS.



INDEX CONCIONATORIUS

Pro ſolemnitatibus Magnæ & Admirabilis

VIRGINIS MATRIS

In Festo Purificationis.

Cum inducerent puerum IESVM parentes ejus; Luc. 2.

De omnimoda immunitate B. Virginis à peccatis actualibus non indigentis purificari vide *Encom. 8. & 9. Mater inviolata & intemerata. pag. 153.*

De pulchritudine tam corporali, quàm ſpirituali illius, vide *Encom. 9. Mater amabilis, pag. 171. & ſeq. item Encom. 28. Domus aurea, pag. 414.*

De profundiſſima humilitate illius vid. *Encom. 10. Mater admirabilis, pag. 206. & Enc. 20. Turris eburnea, pag. 397.*

In Festo Annunciationis.

Et nomen Virginis Maria *Luc. 1.*

De miraculoſa SS. Nominis illius impoſitione, interpretatione, effectibus, ſuavitate & figuris, vid. *Encom. 1. Sancta Maria per totum.*

Ave gratia plena, Luc. 1.

De multitudine & excellentia gratiarum Virgini Matri collatarum, & causis tantæ excellentiæ, vid. *Encom. 5. per totum, pag. 90. & seq.*

Salutationis Angelicæ præconia, vid. *Enc. 15. Virgo veneranda, pag. 249. & seq. usque ad finem illius.*

Quomodo veneranda & amanda B. Mater *ibidem per totum.*

Immunitatem ejus ab omni peccato originali & actuali vid. *Enc. 6. & 8. pag. 113. & 153. per totum.*

Ecce concipies & paries filium, Luc. 1.

Quanta dignitas esse Matrem Dei vid. *Enc. 2. Sancta Dei genitrix, per totum, pag. 24.*

Quanta dignitas esse Matrem Christi, Creatoris & Salvatoris, vid. 4. *Mater Christi, Mater creatoris, pag. 78. & Enc. 12. & 13. pag. 210. per totum.*

Cogitabat qualis esset ista salutatio, Luc. 1.

De prudentia Virginis B. in præconsiderando & tarditate in respondendo, vide *Enc. 15. Virgo prudentissima p. 220 per totum.*

Quanta amatrix solitudinis & silentij, *ibid.*

Ecce

Ecce Ancilla Domini, Luc. 1.

De humilitate Virginis Matris *Enc. 29. Turris eburnea, pag. 397. per totum.*

Humilitate traxit filium Dei in terras, *Enc. 17. pag. 274. Virgo potens.*

Fiat mihi secundum verbum tuum, *Luc. 1.*

Sicut verbo fiat Deus creavit mundum, sic Virgo Mater eodem recreari & renovari adjuvit, *Encom. 12. Mater creatoris, pag. 210. per totum.*

In Festo Visitationis.

Vnde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me, *Luc. 1.*

Beatissima Mater vera est mater nostra, & omnium peccatorum, *Encom. 33. Refugium peccatorum, pag. 454. per totum.*

Fidelissimè illis assistit, *ibid. & Enc. 19. Virgo fidelis, pag. 288.*

Quanta dignitas esse Matrem Dei, vid. *Enc. 2. Sancta Dei genitrix, pag. 24.*

Matrem Christi, *Enc. 4. pag. 78. per totum.*

Quam mirabilis mater, *Encom. 11. Mater admirabilis, pag. 194.*

Mater Domini, utique creatoris & salvatoris, vid. *Encom. eodem.* Respe-

Respexit humilitatem Ancillæ suæ, Luc. 1.

De humilitate summa B. Virginis, *Enc. 27. Turris Davidica, pag. 397. & Enc. 17. Virgo potens, pag. 274.*

In Festo Assumptionis.

MARIA optimam partem elegit, Luc. 10.

De glorioſiſſima Virginis Matris in cælum Aſſumptione, vid. *Enc. 23. Vas honorabile, pag. 335. uſque ad pag. 366. incluſive.*

Optima pars Mariæ pars contemplationis, vid. *Encom. 24. Vas ſpirituale, & inſigne devotionis, pag. 366. per totum.*

Optima pars Mariæ, quod ſit Regina Sanctorum omnium, vid. *Enc. 42. p. 510.*

Optima pars Mariæ quod ſit potens apud Deum, *Encom. 17. Virgo potens, pag. 274.*

Optima pars Mariæ, quod ſit Refugium peccatorum, & Conſolatrix afflictorum *vide eoſdem titulos per totum, pag. 454. & 471.*

In Festo Præsentationis.

De intenſiſſima devotione B. Virginis in orando vocaliter & mentaliter, *Enc. 24.*

Vas ſpirituale & inſigne devotionis, pag. 366. per totum.

Ipſa eſt vivum templum inanimato inhabitans, *Enc. 29. Domus aurea, pag. 414.*

Iam tum incipiens agere mediatricem inter Deum & homines, *Enc. 19. Virgo fidelis, pag. 288. per totum*, item *Enc. 33. Refugium peccatorum, pag. 454. & Stella matutina, vide Enc. idem 32. pag. 444.*

Beatus venter qui te portavit, Luc. 11.

Beatus: quia Dei Matris, Matris Chriſti, vid. *Enc. 2. & 4. Sancta Dei genitrix, & Mater Chriſti, pag. 24. & 78.*

Beatus: quia Virginis virginum, & matris prorſus admirabilis, *Encom. 3. Virgo Virginum, pag. 53. & Enc. 11. Mater admirabilis, pag. 199.*

Beatus: quia puriſſimus ab omni peccato originali & actuali, *Enc. 6. Mater puriſſima, pag. 113. & Encom. 8. Mater inviolata, pag. 153.*

Beatus: quia ſuper omnes creaturas amabilis & Dei amans, *Encom. 10. Mater amabilis, pag. 170.*

Beatus: quia Sedes ſapientiæ & cauſa noſtræ lætitiæ, vid. *Enc. eadem, pag. 309. & 321.*

In Festo Conceptionis.

De immaculata Conceptione admirabilis Matris vid. *Encom. 6. Mater purissima, pag. 113.*

De immunitate ab omni peccato actuali, *Encom. 8. Mater inviolata, p. 153.*

De abundantia divinarum gratiarum in ea & causas illius, vid. *Encom. 5. Mater divinæ gratiæ, pag. 90. per totum.*

INDEX AUTHORUM

Hoc Libello Citatorum.

Albertus Magn.
Alexãd. de Ales.
Alexander Calamato.
Alphonsus Salmeron.
Andreas Vega.
Andreas Episc. Hier.
Abulensis.
S. Anselmus.
S. Antoninus.
S. Ambrosius.
Anonymus.
S. Augustinus.
S. Athanasius.
S. Basilius.
Baldus.
Venerab. Beda.
Beijerlinck.
S. Bernardus.
S. Bernardinus Sen.
Berchorius.
Blosius.
S Bonaventura.
Bredenbachius.
Bulingerus.
S. Casimi-

AUTHORUM.


S. Casimirus.
S. Cyrillus.
S. Cyrillus Alexand.
S. Cyprianus.
S. Chrysostomus.
S. Dionysius Areopag.
Dionysius Carthus.
Dorhoff.
Drexelius.
S. Ephrem.
S. Epiphanius.
S. Eusebius.
S. Eusebius Emissenus.
Franciscus Suarez.
Fulbertus Carnotensis.
S. Germanus Patr.
Gillebertus Abbas.
S. Gregorius Magnus.
S. Gregor. Nazianz.
S. Gregorius Neocæsar.
S. Gregorius Nicomed.
S. Gregorius Nissenus.
B. Guerricus Abbas.
Guil. Gumpenbergh.
Helvidius.
S. Hieronymus.
Hugo Cardin.
Hugo de S. Vict.
S. Iacobus Episc. Christ.
S. Idiota.
S. Ignatius Mart.
S. Ioannes Damasc.
Ioannes Gerson.
S. Isidorus Pel.
S. Irenæus.
Lactantius.
B. Laurentius Iustin.
Lindebrochius.
Loërius.
Mahometus.
Maldonatus.
Martinus Lutherus.
S. Maximus.
Mayronius.
S. Melito.
Nangius.
Nicolaus de Lyra.
Oecolampadius.
Origenes.
Pagninus.
Petrus Canisius.
Petrus Cellensis.

S. Pe-

S. Petrus Chrysol.
S. Petrus Damianus.
Petrus Morales.
Rabbi Abraham.
Richardus de S. Laur.
Richardus de med. vil.
Richardus de S. Vict.
Ruffinus.
S. Rupertus Abbas Tuit.
Rutilius Benzonius.
S. Sabbas Abbas.
Sedulius.
Symon Cassia.
Suidas,
Theodoretus.
Tertullianus.
Thaulerus.
S. Thomas á vill. nov.
S. Thomas Aquinas.
Thomas Bozzius.
Vincentius Ferrerius.
Vasquez.
Zeno Episcopus Veron.

ERRATA.

Paginâ 62. circa finem infestius lege manifestius. pag. 71. circa medium post prædixit ponatur, pag. 124. lin. 8. pectoris l. pictoris. pag. 128. circa med. muremilas l. murenulas. pag. 244 lin. 2. tabe l. trabe. lin. 3. clarus l. clavis. pag. 311. lin. ult. exstat l. constat. pag. 324. lin. 3. lætitia l. lætitiæ. pag. 328. lin. 6. à fine est l. es. pag. 330. lin. 1. homini l. hominem. pag. 336. lin. 9. Elia l. Eliæ, lin. 3. à fine colligitur l. demonstrant. pag. 342. circa med. viros l. vicos. pag. 358. lin. 4. à fine proparans l. properans. pag. 387, lin. 9. ob. l. ab pag. 490. lin. 5. Raynoldus l. Raynaldus.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN